
B
D
BIBLIOTHECA
UNIV. IAGELL.
CRACOVIENSIS


V
B J
C
31406 31407
II.

VITA
S. JOHANNIS CANTII
POLONI.

DE REBUS GESTIS
S. JOHANNIS CANTII
POLONI
PRESBYTERI SÆCULARIS
AC IN ALMA
UNIVERSITATE CRACOVIENSI
SACRÆ THEOLOGIÆ
DOCTORIS
ET PROFESSORIS
LIBER UNICUS.

Quos beatissimos prædicamus, ad eorum beatitudinem tota aviditate curramus; quorum delectamur præconiis, eorum sublevemur patrociniis.

S. Ber. Serm. de Festo Omn. SS.



ROMÆ MDCCLXVII.

Typis Michaelis Angeli Barbiellini
In Ædibus de Maximis.
Superiorum Permissu.

SACRO EPISCOPORUM SENATUI,

ECCLESIARUM

CATHEDRALIUM, COLLEGIATARUM,

PRÆLATIS ET CANONICIS,

PAROCHIALIUM PRÆPOSITIS, RECTORIBUS,

UNIVERSOQUE SÆCULARI CLERO,

REGNI POLONIÆ.

Duo potiſſimum in cauſſa ſunt, quibus ad inſcribendam Vobis S. JOHANNIS CANTII vitam adducimur. Alterum eximia illa pie-

tas Veſtra erga Doctorem & Collegam olim noſtrum, qua a teneris imbuti, de adprobatione primum miraculorum eo intercedente patratorum, tandem de Canonizationis decreto, in gaudia, in plauſus effuſi nuntium accepiſtis; ſolemnes Deo gratiarum actiones, quod Gentis noſtræ vota, diuturna deſideria, & longas expectationes coronaverit, perſolviſtis; atque Thaumaturgi hujus patrocinio Patriam, & Eccleſias Veſtras in difficillimo cum

diſſidentibus a Religione Catholica præſenti ſtatu, enixis ferventibuſque precibus commendaſtis, & uſque in hanc diem commendare perſiſtitis.

Alterum honor Veſter eſt, ex decreta enim CANTIO per Vicarium Chriſti Romanum Pontificem, ſuprema in Univerſali Eccleſia apotheoſi, in Vos ejuſdem Patriæ Cives, ejuſdem Hierarchici corporis membra, eodem charactere Sacerdotali inſignitos, ac plurimos Animarum Paſtores redundat decus peculiare, ita,

ut potiori jure quod olim de Judith præcinebant habitatores Jerusalem, (1) CANTIUM gloriam Sacerdotii, honorificentiam populi nostri compellare possitis.

Hac ergo una, & altera excitati ratione, res ab eo gestas, concise pertractatas Vobis offerimus, ut ad eas sectandas stimulum addamus; inspicite itaque, & secundum exemplum facite! (2) Memoriæ proditum in Scripturis legimus, Jacob Patriarcham vir-

(1) *Judith Cap.* 10. (2) *Exod.* 15.

virgas cortice exutas, ubi greges Laban potarentur, apposuiſſe; ut illarum aſpectu, diverſi coloris fætus conciperent (1), hoc in opuſculo diverſas CANTII virtutes præ oculis habetis, tenete veſtigia, atque „ imitari non pi„ geat, quod celebrare dele„ ctat (2) „. Id neutiquam præloquimur, quaſi de Veſtra religione, pietate, ac integritate vitæ dubitemus, aut dubitare poſſimus, ſed quod Regni noſtri neceſſitates ad-


pri-

(1) *Gen.* 30. (2) *S. Aug. Serm.* 47. *de Sanct.*

prime nunc exposcunt, in memoriam revocamus, atque eo potissimum fine, ut qui Polonis „ in terris visus est „ CANTIUS „ exemplo, in Cœ-„ lum levatus sit patroci-„ nio „ (1).

(1) *S. Bernard. Serm. 2. de S. Victore.*

Doctores, & Professores
Generalis Studii Universitatis Cracoviensis.





DE VITA ET REBUS GESTIS S. JOHANNIS CANTII

CAPUT PRIMUM.

Ortus, ac puerilis Johannis institutio.



NON est exiguæ felicitatis censenda res, a Miecislao, qui primus omnium Principum sua, gentisque nostræ Evangelii legibus subdidit colla, Poloniam quemadmodum Regibus Christianæ Religionis vindicibus, atque assertoribus; ita pietate eximiis, ac sanctitate præstantibus viris spectandam se præbuisse. Ex ipsa continuo subeunte humanæ salutis XI. sæculo, quodam veluti fidei vere, primi Martyrum prodiere flores Benedictus, Johannes, Matthæus, Isaac, atque Christinus Eremitæ Fratres, Divique Adalberti Episcopi, & Martyris peregrinationis, ac laborum Prussis evangelizandis comites: iisque affinis Stanislaus

Cracovienſis Antiſtes, ſacrilega Boleslai Regis cognomento Audacis, dum intemerati Agni hoſtiæ operam daret, peremptus manu. Excepit exinde gremio XIII. ſæculo Vincentium, qui Cracovienſi Infula abdicata Ciſterciensem in Andreovienſi Monaſterio regulam profeſſus eſt; Hyacinthum, & Ceslaum germanos Fratres ex Prædicatorum Ordine; Hedvigem, & Cunegundem Poloniæ, Salomeam Haliciæ Diademate redimitas; & ſæculo XIV. B. Johannis de Dukla Ruſſia illuſtrata ortu per ſenos ejuſdem ſummæ notæ Alumnos ex una Cracovia nitidioribus radiis eſt cumulata. Hos autem inter, Aris quos dignandos protulit, inſtar prænitidi Syderis altius emicare Johannem dixerim, Cantium nuncupatum a Kenty natali ſolo, haud ignobili Cracovienſis Diœceſis Oppido: Staniſlao ſiquidem Conſulari viro, & Anna parentibus religioſiſſimis progenitum, inque lucem editum octavo Kal. Jul. anni MCCCLXXXXVII. a ſalutari Dei Servatoris adventu; ipſa Chriſti Præcurſori ſacra dies, ipſumque Johannis inditum nomen, magnum coram Domino futurum, innuere viſum fuit. Nec omini abſimilis ceſſit eventus rei, in id ſedulo nitente Patre cum lectiſſima Conjuge; e cujus pectore lac, atque pietatem ſimul hauriens gradu eodem Puer concreſcebat ætate, quo ſapientia apud Deum.

Itaque deferre Parentibus; ipſorum monita, objurgationes humili, atque hilari excipere fronte; ad tolerantiam animum, ad gravitatem vultum componere: ad laborem, & ad vigiliam firmare membra antea

tea didicit, quam ſvaderet ratio; rejectis non modo ſæculi illecebris, ſed & nugis illis, quibus (incolumi Chriſtiana innocentia) oblectatur juventus: Hinc Tobiam referens nil puerile geſſit in opere, ac ſanctæ inſtitutioni accomodam præſeferens indolem, in ætatem plenitudinis Chriſti facile efformari potuit, ab ipſis prope incunabulis noſtræ Religionis rudimenta edoctus; per quæ cœleſti gratia admovente manum, & in Deum, & in ejus Virginem Matrem peculiarem ebibit cultum.

CAPUT II.

Ejus Adoleſcentia, & Studiorum ratio in Academia Cracovienſi.

QUamvis permulti præclari Principis Poloniæ ſceptro potiti fuerint, ſolus tamen ex omnibus Caſimirus hujus nominis II., ac e paterna Piaſtorum poſtremus progenie magnus eſt nuncupatus ob tot, ac tanta magnificentiæ monumenta, quæ plurimum Regni majeſtati, gloriæ, præſidio, decori, & ornamento conferrent; Hic enim præter duas Collegiatas in Arce Cracovienſi, ſacram unam Archangelo Michaeli, Divo Georgio alteram, XXXIII., vel prope Parochiales erexit Eccleſias: Prohodochium Stradomienſe; Corcini, Petricoviæ, Caliſſii, Lanciciæ Monaſteria conſtruxit, & Mogilnenſe perfecit; XXV. oppida, & Caſtella ſepſit mœniis: demum condita Civitate, e ſuo nomine Caſimiria appellata, Viſtula tantum amne olim a Cracovia ſejuncta, ad

eam generalis ſtudii exornandam cultu, animum atque curam adjecit. Ab eleganti domorum ſtructura exorſus, dum venandum inter fugienti imminet cervo, procumbentis Equi colliſus pondere, atque concepto ex eo caſu, diu cum morbo luctatus, nonis Novemb. MCCCLXX. & vitæ, & conſumandi operis eripitur gloriæ.

Caſimiro elato Ludovicus Hungariæ Rex, Poloniæ ſolium conſcendit, nihilque de Reipublicæ commodis, ac de ſtudiis cogitantem mors occupat. Hedvigem Patri ſufficiunt Regni noſtri Proceres, atque Electores; Cracoviamque deductam a Demetrio tituli Sanctorum quatuor Coronatorum Presbytero Cardinali, & Strigoniæ Metropolitano Præſule, in Poloniæ Reginam inungi, ac conſecrari curant per Gneſnenſem, Uladiſlavienſem, ac Poſnanienſem Antiſtites idib. Octob. MCCCLXXXIV. ſolemni nobis S. Hedvigis feſto die, utriuſque Regni Bohemiæ videlicet, atque Poloniæ pompam ingenti decorante frequentia. Sponſi, qui tantæ Virgini par haberetur, electio ſupererat: at diu hærendum non fuit, nam Jagello Lithuaniæ Dux elegantis formæ illectus fama, ablegatis Nunciis qui ejus depoſcerent dexteram, jungendi Magni Lithuaniæ Ducatus Polonicæ Dominationi, Catholicæque complectendæ Religionis præſtita ſponſione, communi omnium voto & Solii, & Thalami conſors accerſitur Hedvigis. Princeps hic de Poloniæ Regno optime meritus, non tam belli artibus, quibus præter alia quamplurima præclara facinora, crebro rebellantes, ac victoriis inſolentes compeſcuit Cruciferos: conſilii dexte-

rita-

ritate, atque animi robore, quibus labanti ſuccurrit Reipublicæ: quam comitate morum, Religionis ſtudio, & regalis munificentiæ commendatus frequentiſſimis monumentis, adhuc nobis amori eſt: quippe qui Apoſtoli, ac Regis fœderato nomine in Lithuaniam, & Samogitiam Chriſti invexerit fidem: quamplurima utrobique extruxerit Templa, & Epiſcopales erexerit Cathedras ſplendidiſſimis donis, uberrimiſque redditibus attributis. Sed ad tanti Regis explendas laudes, & ad noſtram rem repetendam illud occurrit, quod animo reputans Uladiſlaus (hoc a baptiſmate Jagello tulerat nomen) non arma ſolum, literarum etiam ſtudia Reipublicæ conducere rationibus, ceptum a Caſimiro repetendo opus, Cracovienſis Academiæ fundamenta jecerit; & collectis undique ex Regno, affinibus, exteriſque nationibus ſummi nominis Præceptoribus, ac eximiæ ſpei adoleſcentibus illi maximum ſplendorem conciliaverit.

Ad hanc infantia jam evoluta, adoleſcentiæ, quam domi grammaticis artibus imbuendus impenderat, reliquum daturus florem ſublimioribus diſciplinis, Johannes applicuit animum; nec mora a parentibus facta, quo tantæ expectationis indoli pares eſſent, prout ipſi in votis fuerat, traduci contigit. Ingenium natura expeditum, judicium maturitate abſolutum, addiſcendo celer, coſtans retinendo memoria ſe ſtatim oſtento præbuit, quamvis contemptus ſui præclaris hiſce dotibus tenebras impenſe offundere conaretur. Nec exurgentis plantæ cultui Academiæ Inſtitutores qua pietate, qua doctri-

doctrina ſpectati defuere, ſed æmulam adhibentes operam præmature extulerunt ad fructum.

Verum litterarum nitorem, quem in ſcholaſticis exercitationibus prætulit, imparem Chriſtianæ diſciplinæ appellaveris; vitæ innocentiam ſi inſpicias illum ad ſeverioris virtutis ſpeciem componentem, & perpetua Dei dilectione avertentem a malo. Noverat optimus Juvenis a ſupremi Numinis timore perennes ſcientiarum effluere rivos: hinc eo firmatum deferens animum, doctrinæ aquis admovit labia, per effuſa fluenta illas exinde in alios derivaturus; quin unquam in præruptos juvenilis licentiæ tramites ne vel leviſſime abripi potuerit, aut proclivi ad voluptatem ætate, aut conſortio adoleſcentium ad eam Urbem confluentium e tot & Cœlo, & moribus diſſitis regionibus.

CAPUT III.

Doctorali Philoſophiæ laurea donatur, & Decanatus in eadem facultate binis vicibus obit munus.

INitium Johannes fecerat ſtudiis in Cracovienſi Academia, illam moderante Staniſlao de Scarbimiria utriuſque Juris Doctore Chriſti anno MCCCCXIII.; perque humaniora tranſgreſſus, quum Philoſophiæ dediſſet operam, facultatis hujus lauream emeritus, conſequutuſque eſt illius propediem inſtitutæ Univerſitatis XV., Domini vero anno MCCCCXV.

Et quia ex legum præſcripto poſt illam adeptam unus

& al-

& alter absolvendus erat annus perlegendis libris, difficultatibus explicandis, ac quæstionibus proponendis antequam divinæ scieutiæ Doctor renunciaretur; incredibile est quantum his æquandis navaverit curæ præ cœteris suorum studiorum æmulis. Interim de thesauro suo in diem nova, & vetera proferens, in Philosophiæ Decanum expetitus tanta ingenii, doctrinæque præstantia Cathedras moderatus est, ut universis Academiæ suffragiis præclara illa Provincia ipsi iterum fuerit demandata.

Nec abs re brevi calamo hic excurrere videar, neminem in Cracoviensi Accademia Decanatus augeri honore, cujus non antea comperta vitæ probitas, & eruditionis delectus fuerit exploratus; quum ejus intersit in medium de naturalibus rebus quæstiones proferre, vera falsis, falsaque veris involuta discriminare, propugnandi methodum edocere, disputationes statutis diebus indicere, ac æqui Judex dirimendis Controversiis arbiter assidere.

CAPUT IV.

Sacræ Theologiæ studia aggreditur; Doctor in ipsa renunciatur; ac Sacerdotio insignitur.

SED iis immorans, Sacræ Theologiæ sibi impensiori labore incumbendum ratus, non antea se illi commisit, quam Sancti Spiritus implorato lumine, castam divinæ Sapientiæ Parentem asciviſſet opitulatricem. Quid proinde mirum tanto ductu per abditiores, remotioresque illius cœlestis scientiæ vagatum semitas fa-

stigio

ftigio hæfiffe; ac ingenti cunctorum Ordinum gratulatione Doctoris nomine infignitum, adhibitumque Cathedris magno Cracovienfis Academiæ incremento, fummum illi contuliffe fplendorem? Quos profufæ, atque altiffimæ ejus doctrinæ Teftes adhibeam, & fi plurimi occurrant mihi; unum tamen, & alterum Simonem Starovolfcium (1), & Fabianum Bircovium præclariffimi Prædicatorum Ordinis Alumnum fubjiciam (2). Poloniæ Salomon non immerito appellandus, dignufque, quem omnis ætas Reginæ Sabæ demiretur verbis: „ Verus eft Sermo, quem audivi in terra mea fuper „ fermonibus, & fuper fapientia tua.... Major eft fa- „ pientia, & opera tua, quam rumor quem audivi „: *Reg.* 3. *cap.* 10. five ingenii, five dicendi & robur, & copia, & elegantia fpectetur.

Ut primum autem opportunum Cantio obfequendi Deo illum ad Ecclefiafticæ vitæ difciplinam vocanti affuL

(1) Sim.Star. in fua Polonia impreffa Coloniæ anno 1632.. *Sanctus quoque Johannes Cantius vir utique eximia fanctimonia, fic & præftanti excellens doctrina apud S. Annam quiefcit.*

(2) P. Fab. Bir. in lib. cui tit. orationes Ecclefiafticæ triginta quinque anno Dom. 1622. *Sydus unicum Cracovienfis Academiæ, ornamentum fingulare catholicæ Ecclefiæ, virum præftantiffimum, cujus præcipua pars in Cœlos abiit, plurima in memoria hominum remanfit fama rerum, quem doctrina, & virtus mori vetuit, ut pote virum laude digniffimum, qui romanum Catholicum habebat pectus forte, doctum, & omnibus repletum virtutibus.... Dives Paterfamilias proferens de thefauro fuo nova, & vetera, & exornans ampliffimis fapientiæ divitiis domum Dei fedens quafi Rex David in Cathedra fua, nodos quæftionum fubtiliffime diffolvens.*

affulfit tempus, Clericali militiæ continuo nomen dedit, ac per inferiores progreffus Ordines, fummum tandem Sacerdotii confcendit gradum; onus Angelicis etiam pavendum humeris non reformidans, quia lex veritatis femper fuit in ore ejus, & iniquitas non eft inventa in labiis ejus: *Malach. cap.* 1. Perfectiorem nihilominus hominem, perfectioremque induens fpiritum; etfi totus additamento virtutum occuparetur, Academiæ tamen muneribus, & proximorum faluti neutiquam defuit, Domini attendens fermonem per Malachiam dicentis „ Labia Sacerdotis cuftodient fcientiam, „ & legem requirent ex ore ejus, quia Angelus Do„ mini exercituum eft „: *Ibid.* Angelus revera & morum nitore, & muneris neceffitudine, qua vel Dei clementiam, vel ultionem populis nunciavit.

CAPUT V.

Quæ in Academia Cracovienfi inftituendi ratio, ac quanto ftudio renunciatus Profeffor Academicus, fuo munere perfunctus eft.

ACademici Inftitutoris fubeuntibus onus ex Legum ftatuto præfcribitur, ut pofthabitis vel parum confonis Chriftianæ fidei fcientiis, excipiendas tantum proferant „ amplectentes eum, qui fecundum doctrinam „ eft, fidelem fermonem „: *Ep. ad Titum cap.* 1. Ita Religioni, & Regno profpectum iri egregie cordati Fundatores illi animadverterunt, quum unice fapientia, quæ ex Deo eft imperia communiat, pietatem foveat,

erigatque animos ad arcana æternæ noſtræ ſalutis Myſteria. His Johannes admonitus, atque graſſante per Angliam, ac Hollandiam non modo; verum & per finitimam Poloniæ Germaniam Schiſmatici, hæreticique dogmatis labe, dolens Pauli prædictionem impletam: „ In noviſſimis temporibus diſcedent quidam a fide, „ attendentes ſpiritibus erroris, & doctrinis Dœmonio„ rum „: *Ep. ad Tim. cap.* 4. adeo caute in ſcholaſticis lectionibus ſeligendis ſe geſſit, ut ne attingendum quidem duxerit ea „ quæ quæſtiones præſtant magis, „ quam ædificationem Dei, quæ eſt in fide „. *Ibid. cap.* 1.

Severioris igitur diſciplinæ rationem complexus, Juvenum indolem explorare enixe ſtuduit, quo vel averſam revocaret ad rectam vivendi formam, vel ad illam compoſitam alliceret, atque juvaret. Quibus aſſequendis, quamvis vel ab infirmis annis Evangelicæ inſtitutionis cultum redoluiſſet, arctiori fœdere perfectioni ſe adjunxit, atque Apoſtoli edoctus verbis „: Ne„ mo adoleſcentiam tuam contemnat: ſed exemplum „ eſto fidelium in verbo, in converſatione „. *Ibid. cap.* 4. quum florenti admodum ætate ſe ad Cathedram applicuiſſet, ſenilis prudentiæ ad honeſtatem morum, precum, jejuniorum, ac corporis afflictationum ad labores acceſſione omnia abſolvit, quæ Chriſtianum Doctorem decent; quin perinde ac ipſe, ſui Auditores objurgationi Jeremiæ obnoxii unquam videri potuerint, „ Quomodo dicitis ſapientes nos ſumus, & Lex Do„ mini nobiſcum eſt „? *Jerem. cap.* 8.

CA-

CAPUT VI.

Ad regimen Pareciæ Oppidi Ilcusii assumitur.

PEr assiduos ergo labores, & diu probatæ vitæ innocentiam tanto onore dignatus, majori Collegio nomen Johannes dederat, quum Ecclesia Ilcusii viduata Pastore in illius Collegii Professores, ad quos Parochi optio delata erat, converterat oculos. Quin vir Dei eligeretur diu ipsis in ancipiti consistendum non fuit: qui non sumens sibi honorem, sed vocatus a Deo tanquam Aaron *Epist. ad Hebr. cap.* 4. libenti animo onus illud inivit. Illuc extemplo properans, ac ingenti Civium lætitia exceptus, oves ut vocem suam audirent commonere præ cœteris aggressus est: postmodum accurate inspicere qua inficerentur lue; ne Isaiæ exprobrationi daretur locus: „ Vulnus, & livor, „ & plaga tumens non est circumligata, nec curata „ medicamine, neque fota oleo „. *Isa. cap.* 1.

Verum probe noscens præcipuum Pastoris onus esse Dei verbi prædicationem, in eam adeo totus incubuit, ut quamcitissime commissum sibi gregem ad meliorem vitæ frugem traduxerit. Hinc alii ejurarunt scelera, alii cruciatibus attriverunt membra, alii crebro adierunt templa, alii jugibus lacrymis irati Numinis exorarunt clementiam, sanctissimi Ducis referentes formam, spectaculum facti Mundo, & Angelis, & hominibus: *Ep. 1. ad Corin. cap.* 4. Sublatis exinde simulationibus,

animorum conciliator, plebis suæ corda eo arctioris charitatis devinxit fœdere, ut una fides, & unus spiritus in illa videretur extare. Accedit & perpetua cura, qua rudes de legis præceptis, & præcipuis fidei Mysteriis interrogando, undique suo muneri par; inventus est administer fidelis, quem constituit Dominus super familiam suam. Invidentis tamen Satanæ procuratione factum crediderim, ut Successor Cantio destinaretur, nisi animarum periculo perterritum abdicasse Pastoris onus & doctrinæ desiderio, nitentibus quibusdam Collegii Sociis ad repetendas pristinas lectiones revocatum, me moneret historia. Hoc unum tamen dicam, tristi quodam Ecclesiæ Ilcusii fato id contigisse.

CAPUT VII.

De Fide Cantii in Deum.

MArtham hactenus expressi magis, quam Magdalenam: Ad hanc in integrum ut me convertam nitidissimum spiritus proferam cultum, atque a fide exordiar, quæ virtutum omnium radix, & scaturigo est; quamque in cunctis adhibendam Apostolus monet, ne armis Satanæ fidelis anima saucietur (1). Quantalibet præstantem specie hanc portendit puerilis Johannis ætas, qua scite calluit, veneratusque est augustissimæ Trinitatis Mysterium; & adulta qua sanæ semper

(1) *In omnibus sumentes scutum Fidei, in quo possitis omnia tela nequissimi ignea extinguere.* Ep. ad Eph. cap. 6.

per doctrinæ ſtuduit illam vel comparando, vel tradendo ex Cathedris, atque ſuggeſtis. Ingens quinimo ejus dilatandæ ardor præſto eſt, quo impellente, Terræ Sanctæ peregrinatione ſuſcepta, Chriſti Crucifixi nomen nunciare barbaris Aſiæ populis non exhorruit, ſanguinem adhuc profuſurus, ut illos ab impiiſſimis Mahumetis erroribus averteret, & Catholicæ fidei manciparet obſequiis: „ Et quia corde creditur ad juſtitiam, „ ore autem confeſſio fit ad ſalutem „. *Ep. ad Rom. cap.* 10. Quod fidei teſtimonium a Cantio requiretur Martyrio illuſtrius, quamvis ejus ſubeundi arcano Dei conſilio ipſi prærepta occaſio fuerit? Martyrem enim non ſanguis tantum, ſed & Martyrii efficit deſiderium.

Quamquam ajente Hieronymo: „ Non ſolum effuſio „ ſanguinis, ſed devotæ quoque mentis ſervitus imma„ culata quotidianum martyrium eſt „: *Ep.* 25. *ad Euſtoch.* huic impar cenſenda non eſt rigida illa timoris Dei diſciplina, cujus ope fortiter in via mandatorum gradientem, conſtans fama eſt, collatam ipſi in baptiſmate gratiam ad mortem uſque aſſervaſſe. Orandi aſſiduitas inſuper, jugis cœleſtium bonorum meditatio, ſupremi Numinis augendi honoris ſtudium in, Salvatoris acerbiſſimam paſſionem, in ſacratiſſimum Altaris Sacramentum, ac in Deiparam Virginem effuſa devotio, ſingulis quibuſque numeris abſolutam Johannis comprobant fidem; æque ac gratia tot tantorumque ſignorum, quibus & dum in vivis ageret, & poſteaquam ad ſuperos traslatus eſt adeo claruit, ut ejus nutibus audiens fuerit non

natura solum, sed & naturæ Auctor summus, completurus omnia quæ credentibus in suo Evangelio spoponderat se præstiturum (1).

Justus itaque iste ex fide vivens, ut totus viveret fidei proposita sibi æterni Numinis clementia, quid sibi ex originalis peccati lege deberetur, quidque fuerat assequutus per gratiam meditabatur (2). Subibat exinde animum summum illud incommutabile bonum morienti justo retribuendum ex Christi meritis, quem oportuit pati, & sic intrare in gloriam suam. *S. Luc. cap.* 24. hinc alacri conatu ipsius Cruci adponens humeros, novam ex ea hausit vitam tanti Ducis ad exemplar se conformando (3).

* *
*

CA-

(1) *Signa autem eos, qui crediderint hæc sequentur: in nomine meo Dæmonia ejicient: linguis loquentur novis: Serpentes tollent & si mortiferum quid biberint, non eis nocebit: super ægros manus imponent, & bene habebunt.* S. Mar. cap. 16. *Habete fidem Dei. Amen dico vobis quia quicumque dixerit huic Monti: Tollere, & mittere in mare; & non hæsitaverit in corde suo, sed crediderit, quia quodcumque dixerit, fiat, fiet.* Idem. cap. 11.

(2) *Cogita quid per legem tibi imminere debebat, & quid per gratiam consequutus sis: Si consequutus es gratiam fidei, eris justus ex fide (justus enim ex fide vivit), & promereberis Deum. Vivendo ex fide, accipies præmium, immortalitatem, & vitam æternam.)* S. Aug. tract. 3. in Johan.

(3) *Summum bonum præstari hominibus non potest nisi per Christum, & hunc Crucifixum, cujus morte mors vincitur, cujus vulneribus natura nostra sanatur: ideoque justus ex fide Christi vivit. Ex hac enim fide prudenter, fortiter, temperanter, & juste; ac per hoc his omnibus veris virtutibus recte, sapienterque vivit.*

CAPUT VIII.

De Religione in Deum.

DEo, quem fide credimus, per Religionem debitum persolvimus cultum in spiritu, & veritate; quemadmodum ipse Dei Filius testatur. „ Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu, & veritate; nam „ & Pater tales quærit, qui adorent eum „. *Johan. c.* 4. Quanto autem studio virtus hæc sit exhibenda, ostenditur per Israeliticum populum, qui, nondum universa Chananæorum regione subacta, ad Siluntem testimonii locavit tabernaculum cæremoniis legis daturus operam, ut hostiam immolaret Altissimo (1). Ad eam unice efformatus videbatur Cantius, vix enim concipi potest quantum in divinis mysteriis, sacrisque Ecclesiæ pertractandis ritibus pietatis, curæ, atque solertiæ impenderet. Ab incruento Christi corporis sacrificio nunquam vel gravissimis negotiis, vel ægritudinis difficultatibus præpeditus abstinuit. Aderat ei continuo alta illa Majestas, quæ Cœlum, & terram implet; trepidanti proinde animo ad tantæ gloriæ occursum humilibus precibus provolvebatur, quo rerum omnium Dominum sibi conciliaret. Quamobrem dum ad Aram procederet, composito ad modestiam vultu, mente in sacratissimi Mysterii contemplationem abrepta, Cherubim referebat igne chari-

(1) *Laudanda profecto est populi religio, cui ante omnia curæ est Dei sacrarium, & cultus divinus.* Masius.

charitatis æſtuantem, illumque in adſtantes fideles derivantem, ea animi ſignificatione, ut totus effuſus in lacrymas, has etiam ab illis quandoque eliceret.

Dolebat perduellis ſpiritus eximio hoc Servi Dei cultu divinam augeri gloriam, atque animarum profectum; hinc ira excandeſcens ſe convertit ad dolos. Frequenti ſpectante populo quodam brumalis temporis die ſacris operabatur Johannes, jamque conſecrationi imminebat, quum repente ſubit hirundo protenſis alis, ac garrienti ore inconditum ſonitum edens. Ut moris eſt ejus advolatu ab altari avertuntur oculi & corda, non ſine gravi mœrore divinorum miniſtri, qui teterrimi hoſtis e Cœlo didicerat aſtum. Ferventiori nihilominus conatu ſacrificium proſequitur, illoque perfunctus ad Templi properans fores, nitentem aufugere hirundinem aprehendit, elevatque manum ut allidat ad terram. Tunc circumeffuſa turba rogare inſonti velit parcere Aviculæ: At ipſe, inſons hæc avis? eamque projiciens, cernite cujuſnam generis ſit, inquit: quæ trucis, immaniſque Draconis induens formam, ac horribili ſibilo adfremens ſubito evanuit.

Eodem pietatis cultu Deiparam Virginem venerabatur. A puberi ævo quum ejus tutelæ ſe commiſiſſet, nullum præterlabi ſinebat diem, quin pluries honorem aliquem illi perſolveret. Sed & per ſingulas noctes dum medium ſilentium tenerent omnia, ad Iconem contendens januæ Collegii majoris adpictam, ac exprimentem illam dolentem ad aſpectum Filii e ſepulcro adparentis, atque

ex

ex lateris vulnere magnam Sanguinis vim profundentis procumbebat genibus, dirissima utriusque recolens mente supplicia, eo miserationis sensu, ut persæpe voce ab Icone illa prodeunte meruerit relevari. Hoc demum Religionis studium commendat non modo honor ab ipso sacris exhibitus Ædibus, Zelus, quo declamando e suggestis in impios, atque sacrilegos illarum profanatores efferbuit; sed & solicitudo ne festi dies servili opere violarentur; ne Supremi Numinis, Virginis, atque cœterorum Sanctorum nomini detraheretur blasphemiis.

CAPUT IX.

De Spe in Deum.

Fidei proxima spes: quæ nobis est „ velut ancho-„ ra, quæ retinet animam nostram ne commo-„ veatur „. *Tex. Syr.* tanto sui præsidio vallaverat Cantium, ut ab illa nunquam exciderit vel Dœmonis astu impetitus, vel infirmæ naturæ casibus fractus. Fidei oculis contuens divitem in omnes, bonum, atque fidelem Dominum, spem omnem intenderat prœmiis paratis a Christo Filiis adoptionis per sui sacratissimi Sanguinis merita: spem inquam illam, quæ in præsenti tempore est quædam vigilia solemnitatis æternæ. *S. Laur. Just. tract. 8. de Spe cap. 2.* Qua enim teneretur cupiditate Mundi hujus? „ Ubi morbi, ubi præmaturæ mor-„ tes, ubi calumniæ, ubi invidiæ, ubi desperatio-

„ nes, ubi iræ, ubi cupiditates, ubi innumerabiles „ insidiæ, ubi quotidianæ solicitudines, ubi perpetua „ sibique cohærentia mala sunt innumeros ex omni „ parte labores afferentia „. *S. Johan. Crys. in orat. de S. Philog.* A teneris ergo annis instructus armis Evangelicæ perfectionis, per quam anima Creatori suo jungitur, quia noverat quod „ plus concupiscentia, „ quam substantia nocet „. *S. Bern. Serm. in cap.*19. *Evang. S. Matt.* a dignitatibus, opibus, ac oblectationibus abhorrens, sed & desideriis denudatus adversus principem tenebrarum harum processit ad pugnam, victorque cœlestem illam Jerusalem ingredi festinavit.

Verum quum ad firmandam spem demissus sapientiæ sensus, malis non expugnata animi virtus, atque explorata afflantis Numinis voluntas conspirent; (1) quantum horum accessione se in Johanne illa præstiterit inspiciendam? Urgeret promptior veritas, ratio uberior assurgeret, in adversum tamen consistentibus cessit, ubi de naturalibus rebus esset concertatio instituta, acer tamen, ac vehemens quoties intemeratæ fidei candor errorum tenebris obvolveretur. Quis illo in adversis firmior? Illudentibus comis, calumniantibus mitis, quin illatas ulcisceretur injurias, apud Deum pro persequutoribus deprecator accedens, humani generis hostis elusit insidias, qui eum provocabat ut maledicens animas illorum

(1) *Tria hæc roborant spem. Primum est humilitas collatæ sapientiæ: Secundum firmitas constantis patientiæ: Tertium veritas inspirationis occultæ.* S.Ber. in Sent.

lorum expeteret. De susceptæ denique vitæ instituto securus, audita Domini voce, qui induxit illum in nubem, nemo eo alacrior viam cœlestium mandatorum emensus est, sciens sibi repositam esse coronam justitiæ a justo Judice repetendam. Quamobrem proposito sibi gaudio ad imitationem capitis sui toleravit probra, sustinuit irrisiones, & quot ante mortem pertulit supplicia, tot ei de se obtulit sacrificia. *S. Aug. serm.* 44. *de Sanctis*.

CAPUT X.

De Charitate in Deum.

CHaritas vinculum perfectionis in Christi exprimitur inconsutili veste, qua induti in unum coalescimus corpus, ut simus unum cum Deo sicut ille, & Pater unum sunt juxta Johannis testimonium. „ Qui „ manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo „. *Epist. B. Johan. cap.* 3. Quum autem rerum omnium Auctoris nobis dilectio præcipitur, ad quamdam divinæ naturæ participationem allicimur, mortis insuper injecto metu „ qui non diligit manet in morte „ *Ibid.* ut properemus ad vitam. Ejus vero præcipuus finis etsi sit summa bonitas, summa potestas; suppar tamen mihi videtur ille, quem profert Oleaster „. Quem- „ admodum Deus te ut rem pretiosam custodit, pro- „ tegit, ac recondit; ita vult te eum habere ut quid „ pretiosum, & desiderabile „. Quo ergo quanta in

Deum charitate emicuerit Cantius enarrem, ipſam viri Dei vitam inſpiciendam duxi, veluti quamdam tantæ virtutis exercitationem perpetuam. Adepta per fidem Creatoris cognitione, quidquid ageret, cogitaret, & loqueretur ad illud unice referebat, facem admovente intellectu, qui per ſacrarum ſcientiarum arcana conceptum in voluntatem derivabat ardorem. Nihil in humanis propterea illius votis objiciebatur, cujus aſpectu mens delectaretur ex toto corde, ex tota anima, & ex tota fortitudine in dilectionem nitens ſui munificentiſſimi Domini, qui „ quidquid eſt cordis, quid„ quid mentis, quidquid virtutis humanæ ita voluit „ Dei amore poſſideri, ut hominis mundanus non ha„ beret, quod violaret affectus „. *D. Chryſolog. ſer.* 147.

Totus itaque in divinæ contemplandis naturæ attributis tam mira Spiritus ſuavitate perfundabatur, ut omnia ipſius verba hanc charitatem afflarent, dolens nec a ſe, neque ab aliis ea redhiberi cordis alacritate, quæ par eſſet Supremi Numinis largitati. Sed altiori, atque vehementiori mœrore angebatur ob humani generis ſcelera, in graviſſima quæque mortis ſupplicia paratus, ut propulſaret injurias, quibus Conditoris Majeſtas afficiebatur. Huic ut occurret ingrati animi vitio, in omnibus ferme Concionibus, quas frequentes ad populum habuit in audientium memoriam revocabat quomodo nos Deus e nihilo efformavit, quomodo in diem perpetuis nos beneficiis exornat, quomodo per Adæ culpam, quum eſſemus filii iræ, filii gehennæ, Unigenitum, ſibique

con-

consubstantialem tradidit Filium, quo ejus cruore nos eriperet a potestate peccati. In privatis quoque colloquiis, quo intus æstuabat charitatis erumpebat ignis, in id potissimum studium impendens omne, ut intelligerent homines se ab omnipotente Opifice creatos, & eum amarent, & colerent. Ejus rei caussa plerumque contigit, ut ii cum quibus familiariter ageret, uti optabat, aliquo charitatis stimulo perciti abirent, atque compulsi. Otii proinde, quietisque impatiens si quando sibi arrideret occasio quoquo modo efferendi, atque augendi Dei gloriam nullum reformidabat periculum, nullam obtrectabat molestiam. At quia. „ Modus diligen„ di Deum est diligere sine modo. „ *S. Bern. tract. de modo diligendi Deum*. Nihili pendens quæcumquæ etiam improbiora exequeretur, ad nova, & enixiora semper provocabatur animo: & quamvis enervis viribus, atque ætate tabescens, nullum tamen laboribus adhibebat modum, acriter increpans illos, qui conquererentur se divinæ legis difficultatibus premi. Quemadmodum ad divinam voluntatem in omnibus sive secundis, sive adversis rerum eventibus se conformaverat, ita ab ea ut cuncti penderent inexplebili cupiditate tenebatur, quum hoc amantium unicum studium sit dilecto obsequi, obtemperare.

* * *

* *

*

CA-

CAPUT XI.

De Charitate in Proximum.

AD legem implendam (1) charitati in Deum Proximi subjicitur dilectio, veluti animæ corpus ab ea perficiendum. „ Si diligimus invicem Deus in nobis „ manet, & charitas ejus in nobis perfecta est „. *Johan. Ep.* 1. Jam quanta hæc in Cantii invaserat animam, grandis operis sermo est; quum vel perpauci, vel nemo in ejus cultu illum fuerint prætergressi. Quæ Pastor obivit ut Ilcussii gregis prospiceret saluti æternæ; quæ Doctor ut sanæ doctrinæ verbis auditores in Dei contineret timore; quæ Evangelii Minister ut fidelium, ac infidelium animas Christo lucraretur: quia jam attigi brevibus, properaturus ad ea, quæ temporali proximi impendit bono, non omittendum reor, nunquam sacris operatum, quin pro populi peccatis dilecti Filii sui placationis hostiam irato offerret æterno Patri. Vir iste misericordiæ, cujus pietas nemini defuit indigentes omnes ita respiciebat, ut in ipsis Christum suis exhiberi oculis arbitraretur. Quam ab Academiæ Cathedra referebat mercedem ad illorum magis levandam inopiam, quam ad proprium usum, & commodum erogabat; dignus propterea qui Job sibi vindicet verba.

(1) *Qui enim diligit Proximum legem implevit*: Ep. ad Rom. cap. 13. *Omnis autem lex in uno Sermone impletur: Diliges proximum tuum sicut teipsum.* Epist. ad Gal. cap. 5.

verba. „ Ab infantia mea crevit mecum miseratio, & „ de utero Matris meæ egressa est mecum „. *Job. cap.* 31. Solemne inter cœtera hujus virtutis opera ipsi erat, ut quoties pauper nudatus pedes obviam prodiret, sua illi porrigeret calceamenta, dimisso interim ad terram pallio propriam nuditatem protegens, donec domum regrederetur.

Præ nimio rigentem frigore quadam die advertens pauperem statim accurrit, detractoque sibi pallio illum cooperuit, ne a quopiam conspiceretur solum cavens, ut sui divini Magistri consilio staret. „ Te autem facien„ te eleemosynam nesciat sinistra tua quid faciat dextera „ tua „: *Matt. cap.* 6. Quam vero gratum, atque jucundum id contigerit Deo, adparentis ipsius misericordiæ Matris testimonio comprobatum est: hilari namque vultu Johannem ipsa alloquuta, ejus in pauperem & commendavit pietatem, & repræsentato pallio in Cœlis reportandæ mercedis admonuit. Fœnere ferme eodem viri Dei in proximum repensa est charitas, quum Academiæ Collegæ, ac adolescentes suæ crediti disciplinæ, carnis frustum, quod inopi deprecanti stipem, præberi jusserat ejus mensæ invisibili ministerio repositum sunt demirati. In cujus rei gratiam Collegii majoris Professores in posterum adhibere mensæ quotidie consueverunt pauperem hac superaddita lege, ut quoties ipsis comedentibus inops aliquis adveniret, qui primus adverteret, iis moneret verbis, *Pauper venit*, eoque, qui Præsidentis obtinet locum, *Christus venit*, respondente, optata egenus elee-

mosy-

mosyna muneraretur. Et quia charitas novis semper urgetur beneficentiæ stimulis, a nonnullis jam recensiti Collegii Professoribus annui legati sunt census, quibus vestes ad obtegendos inopes compararentur.

Prolixum esset singula persequi suæ in Proximum charitatis monumenta, omnibus enim omnia factus, ut omnibus prodesse posset, infirmis solicitudine, consilio dubiis, egentibus ope, solatio mœrentibus aderat, tanto miserentis animi ardore, ut instar Pauli aliorum calamitatibus & ipse teneri, atque concuti videretur (1). Prætereundum tamen haud puto, ad cujusdam famulæ coercendas lacrymas fracti non modo lacte repleti vasis partes in unum revocasse corpus, verum & haustam ex Rudava àquam in lac vertisse, ne nimis asperæ Dominæ obnoxia illa fieret iræ.

CAPUT XII.

De Prudentia.

SUpremo rerum Moderatori adscribenda optimæ naturæ indoles est, Parentum providentiæ institutio animi. Utriusque singulari cura quibusdam veluti innixa cardinibus soboles ad eas assurgit virtutes, quarum nitor ad laudem vitæ, spiritui ad sanctitatem efformando affulget. Has inter quum principem locum prudentia teneat; quæ inscribitur. „ Ordinatrix affectuum, & mo-
„ rum

(1) *Quis infirmatur, & ego non infirmor.* Ep. 2. ad Cor. c. 11.

„ rum doctrix „ . *D. Ber. ser.* 49. *in cant.* Cantii ingenium , judiciumque arridet illum ut exprimam , divina prorsus , atque humana omni hujus virtutis lege absolutum . Horum præsidio sibi igne , & aqua propositis (1) ne æternis ardoribus addiceretur , cœlestis gratiæ venis adjecit os , hausurus ex eis timorem Domini , a quo omnis sapientia initium ducit (2) . Adolescens ætate , consilio maturus , quemadmodum a nugis , ac delectationibus vel innoxiis abhorruit ; ita sacrarum rerum studiis inhians , ex humanis ad ea tantum adjunxit animum , quæ ad illam sibi sternerent viam . Ab ea aversus , quæ carnis prudentia dicitur , illi unice navavit operam , quæ posthabitis terrenis cœlestia inquirit ; & in agendis nil aliud spectat quam Dei gloriam , perpetuamque hominum prosperitatem . Quidquid negotii privati sive , sive publici aggrederetur , multis precibus præoccupabat , ne inconsulto rerum omnium Arbitro in malum cederet opera : illud præcavens , ut religioni , & animarum saluti consuleretur .

Uti suam , ita commissorum sibi adolescentium vitam ad Evangelii componebat leges ; nec illorum tantum , sed & eorum quibus assuevisset , vel ad consilium adhiberetur , ad conciones , atque ad alia catholicæ institutionis munera .

D Quod

(1) *Apposui tibi aquam , & ignem ; ad quod volueris porrige manum tuam ,* Eccli. cap. 15.

(2) *initium sapientiæ timor Domini .* Psal. 110.

Quod vero ad temporis rationem attinet, eam habuit, quæ vel minimam illius particulam inanem evolvi non fineret; certis ad hoc fibi præfinitis horis, quibus fingulas actiones emetiretur, fua quibufque fpatia defignando. Et quamvis in Dei, ejufque legis jugi meditatione detineretur; ita tamen quod muneris fui effe intelligeret perficiebat, ut de fua præfentia, opera, ac vigilantia nihil unquam fuerit defideratum.

CAPUT XIII.

De Juftitia.

QUanta virtus juftitia fit, verbis admonemur Apoftoli ad Romanos fcribentis. „ Non eft Regnum „ Dei efca, & potus, fed juftitia, gaudium, „ & pax in Spiritu Sancto „. *Ep. ad Rom. cap.* 4. Quare Chriftus Jefus alloquens turbas, quum præ cæteris regnum Dei ut inquirerent hortatus effet, ac fi & præ cœteris ei affequendo juftitia conferret, huic, veluti cuidam Divinitatis Symbolo fubdidit ut inhærerent (1). Reliquis ut affinis virtutibus, fic ifti addictiffimus Johannes, religioni in primis quid tribuendum effet intelligens, non Deum tantum, Virginem Matrem, atque Sanctos omnes fummo eft profequutus honore; verum & ipfius Fidei incunabula ac Cathedram, ad illa femel, ad hanc quarto fe conferens, quo gratias rerum

(1) *Quærite primum Regnum Dei, & juftitiam ejus, & hæc omnia adjicientur vobis.* Matt. cap. 6.

rerum omnium exolveret Domino, qui ipsum Ecclesiæ exceperat sinu; Ecclesiæ illius inquam, quam sanguine Dilecti Filii sui Jerosolimis fundatam, in Romani Imperii constituerat arce.

Eo animum gerens beneficio devinctum, duos ne pateretur Dominos, quorum unum contemneret, diligeret alterum, nil præter Deum in deliciis habuit; in vincula, in verbera, in mortem paratus, ut ab omnibus dignosceretur, amaretur, & coleretur. Hujusce voti quo compos fieret, precationibus, lacrymis, vigiliis, jejuniis, atque colloquiis incredibile est quanto æterni Numinis gloriæ, atque Christifidelium pietati fuerit incremento.

Quid plura? in hostes lenitate, in amicos fide, in domesticos vigilantia, in subditos cura, in miseros largitate, ac doli expers in omnes dilectione sincera ea effloruit justitiæ laude, quæ intra se esse ostenderet Regnum Dei.

CAPUT XIV.

De Fortitudine.

CHristianam fortitudinem designans Augustinus, ait „ Fortitudo est amor omnia propter Deum facile „ sustinens „. *Lib. de moribus Ecclesiæ cap.* 15. Verum quum firmare animum nequeamus contra exteriores pugnas, nisi internis perfuncti in arenam descendamus: quo Cantii constantiam literis mandem, eam primum excurram calamo, qua acerrima contentione cum animi perturbationibus, & pravis concupiscentiis est colluctatus:

tus. In agone igitur vir Dei contendens ab omnibus se abstinuit, ut emeritus palmam, incorruptibilem coronam acciperet. Explorata ad hoc pronæ suæ naturæ ad iracundiam indole, in camo, & freno eam, constringens, captivam per omnes vitæ semitas duxit. Ut caro adversus spiritum non concupisceret, non solum omni afflictationum genere illam in officio continuit, sed ab iis etiam delectationibus prohibuit, quas catholica disciplina non aversatur. De literis optime meritus, ne a scientia quæ inflat, inanis gloriæ ambitu Christiana humilitas profligaretur, nihil se scire profitebatur; sicque sui victor de iis etiam, qui eum foris expugnare adnitebantur, facile triumphavit; non immerito propterea Spiritus Sancti celebrandus verbis. „ Melior „ est vir patiens viro forti, & qui dominatur animo suo „ expugnatore Urbium „. *Prov. cap.* 16.

Spectabilioris tamen illum constantiæ effulgentem laude ut innuam, hoc satis velim sit, quod acerbissimis impetitus conviciis, calumniis etiam boni nominis lædentibus famam exagitatus ab iis præsertim, quos in Academici Professoris munere collegas habuit, quin infringi, nec concuti quidem se passus est; quod non modo ab ulciscendis se compescuit injuriis, sed in suos etiam infensissimos hostes ea charitate exarsit, ut quoquo poterat illos fuerit omni officiorum genere prosequutus, quod fortitudinis ut teneret fastigium, his monitis adigebatur. „ Conturbare cave: non est placare suave. Dif- „ famare cave: nam revocare grave.

CA-

CAPUT XV.

De Temperantia.

ALtricem cœterarum virtutum temperantiam dixerim, per quam corpore in ſervitutem adacto, Spiritus ad Deum qui fecit illum properat; eique adhæret uti principio ſuo, ac ſummo expetibili bono. Id cœleſtis gratiæ aſpirante Numine edoctus Cantius verecundiæ, & honeſtatis apparatu largiſſimo, vitiis innoxius omnibus, ad eum emerſit virtutis cultum, quem non Chriſtifidelem modo, ſed & ſacris addictum miniſtrum decet ,, Sacerdotis vita temperantiæ typus ,, eſſe debet ,,. *Teodoret. in Levit.* Potus, ac cibi continentiſſimus, vilioribus ad neceſſitatem adhibitis, poſteaquam Sacræ Theologiæ Doctor fuit renunciatus, carnes ſibi penitus interdixerat, quam aſperam vitæ rationem ad mortem uſque inviolate retinuit.

Inceſſerat illum quadam nocte vehemens cupido carnium, dœmonis excitata facibus. Carnis fruſtum igni apponi juſſit, illamque ſummo calore ferventem arripiens, ad os admovit, & humeros, quo nequiſſimi ſpiritus eluderet artes, & carne exuſta caro, ab ea appetenda in poſterum prohiberetur hac increpatione amariſſima. ,, Caro carnem expetiviſti: come- ,, de ergo illam ad ſatietatem ,,. Effuſus inde in preces quibus dignaretur Altiſſimus hujuſmodi coercere tentationes, clamans clamore valido, exaudiri prome-

ruit

ruit Deipara ferente opem; quæ gestans in ulnis puerum Jesum, quum se conspiciendam præbuisset, eum reddidit certiorem ex tunc temporis non solum comedendæ carnis appetentia, sed omni etiam libidinis sensu futurum prorsus expertem: asservatæque Virginitatis in prœmium, ac in futuræ gloriæ arrham, candidam illi ex rosis contextam coronam est impertita.

Intempesta nocte nudis pedibus nivem, glaciemque premens sacras adibat Ædes; nuda semper decumbens humo, senio tantum confectus ursinam supponens pellem quo fatiscentem naturæ foveret calorem; assiduis Cathedræ exercitationibus, aliisque pietatis laboribus delassatum corpus brevissimo levabat somno. Ab externo corporis abhorrens cultu qui splendorem redoleret, atque mollitiem, vilibus, & quæ sacerdotem decerent, vestibus utebatur.

Jesu Christi ortu, prædicatione, ac morte consecrata loca, Romamque Martyrum madentem Sanguine invisens, semper pedes incedebat, sarcinulæ onore, viarum asperitate, solis æstu, noctis, & aeris inclementia, famis, ac sitis tempestatibus adeo attritus, ut merito per hæc itinera, non secus ac per purgatorii ignem expiari animam suam prædicaverit.

Nemo certo unus erit qui Johannis demiratus labores, jejunia, flagellationes, asperitates, non fateatur eum per hæc temperantiæ dono sic excelluisse, ut nulla ferme carnis molestia, nulla rebellantis naturæ contumacia in adversum unquam fuerit inclinatus.

CA-

CAPUT XVI.

De mira ſimplicitate, ac humilitate.

VAlentinum redarguens, ſimplicitate objecta animi illi verſutiam improperabat Tertullianus. „ Abſcondat ſe ſerpens quantum poteſt, totamque prudentiam in ambagibus torqueat; alte habitet, in „ cœca detrudatur: noſtræ Columbæ domus ſimplex, „ etiam in editis ſemper, & apertis, & ad lucem „. *Lib. cont. Valent. cap.* 3. Quid ni Columba Cantius? Quem „ cor machinationibus tegere, ſenſum verbis „ velare, quæ falſa ſunt vera oſtendere, quæ vera „ ſunt fallacia demonſtrare „. *S. Greg. lib.* 10. *Moral. cap.* 27. nulla malignantis naturæ ſuperbia edocuit: ſed per quamdam morum temperantiam, mentiſque ſobrietatem Dei ſapientia erudivit „ nil per oſtentatio- „ nem fingere, ſenſum verbis aperire, vera, uti ſunt „ diligere, falſa devitare, bona gratis exibere, mala „ libentius tolerare, quam facere, nullam injuriæ ul- „ tionem quærere, pro contumelia lucrum putare „. *Ibid.* Plurima virtutis hujus monumenta ſuperioribus conſperſa capitibus huc ne revocem; unum proferam illud, quo non in Columbam modo, verum & in puerum ſe converſum præſtitit „ ut ſimplicitate ætatis il- „ lius innoxiæ, perfecta virtutis effigie, & quodam „ innocentium morum ſpeculo reluceret „. *S. Ambr. de obitu Satyri fratris ſui.*

Pro-

Properanti Romam ex insidiis latrones occurrunt, dirisque verberibus affecto, ac rebus omnibus, etiam ad alendam vitam necessariis expoliato; atrociora minitantur supplicia, nisi quod auri esset reliquum proderet. In tanta animi perturbatione insuti in vestes memoria viro Dei Hungarici exciderant nummi. Negat hinc iste, illi abeunt. Subit tunc mentem asservata pecunia; seque mentitum dolens, effugientium grassatorum vestigia premit. Regredi sibique velint parcere rogat, inque genua provolutus in Cœlum, & coram hominibus se peccasse clamans, explicatum vestibus aurum abjicit. Digna spectaculo res! Tam mirabilis simplicitatis novitate perculsi Latrones, ad ipsius procidunt pedes, ablata reddunt, illatæque vis, ac injuriæ reportata venia suas repetunt latebras.

Qua simplicitate autem, qua humilitate puer Johannes; ut literis hujus virtutis perstringam laudes, pervadere libet quam demisse de se sentiret; quam alte ingenii sui, suæque doctrinæ elegantiam occulere niteretur. Ejus studio e limo efformati corporis originem recolens animo, dignum se profitebatur, qui contemptui ab omnibus haberetur, omniumque attereretur pedibus ipsum admonente David. „ Ego autem „ sum vermis, & non homo; opprobrium hominum, „ & abjectio plebis „. *Ps.* 24. Pacato animo contumelias excipiens, si quempiam per se læsum arbitrabatur, antequam peracturus Missæ Sacrificium ad sacram se sisteret Aram, illud adibat, irrogatæ injuriæ depre-

deprecans veniam ; frequenſque hoc humilitatis officium illi fuit in ſuos Academiæ Callegas , quum conſultando , vel differendo inter illos adhibitus , ſuam dixiſſet ſententiam ea libertate , quæ ingenuum , atque catholicum deceret virum . Cœterarum virtutum comparato theſauro opus erat Cantio ut de illarum cogitaret cuſtodia (1) . Quæ providentior , quæque vigilantior humilitate ? Hac appoſita nullus ſubeundi ſuperbiæ locus , in tuto omnia , omnia in perfectionis plenitudine , omnia in conſummatione virtutis .

CAPUT XVII.

De Donis ſupernaturalibus .

QUO uberior Johanni cœleſtis collata eſt gratia , eo locupletiori ſupernaturalium donorum auctus ipſe eſt copia : quæ Dei conſequuntur amicos , ut innoteſcat mundo , quanta divinæ largitatis mercede ſanctitas perfundatur . Inter hæc autem dona , ſive gratis exhibitas gratias , potiori cenſentur nomine pro-

(1) *Attende cur ad humilitatem invitantur carnis hoſtes , & mundi , attende quo egebant ad perfectionis plenitudinem jam ſequuti Chriſtum , relictis omnibus propter Chriſtum . Magnus theſaurus magna eget cuſtodia. Erat Apoſtolis pretioſus , & ineſtimabilis theſaurus ipſa Redemptoris gratia , & divinum ejus colloquium . Erat eis theſaurus ſacræ Menſæ communicatio , & ſpiritualis alimenti veritas . Erat eis theſaurus in amorem cœleſtium quotidie ejus miraculis proficere, & exemplis : Hujus Theſauri cuſtodem oportuit eſſe humilitatem, & ejus excubiis acceſſum ſuperbiæ amoveri .* Hildebert. Cenomanan. Epiſc. Epiſt. 71.

phetiæ ſpiritus , ac pervadentium naturæ vires ſignorum operatrix virtus . Iſtius pauliſper protrahenda narratio : illi ut continuo hæream ea omiſſa parte , quæ eſt de ſupremo omnium Conditore , de que pietate , & virtutibus dexterius , atque divinius diſſerendi facultas , non ſtudio parta , ſed a divino aſpirata Numine , quæque Paulo attributa fuit in prædicatione Evangelii non ab homine accepti , ſed per revelationem Jeſu Chriſti : ad futurorum prænunciationem percurrat calamus , Cantiumque referat ſpiritu magno attingentem remota tempore , & loco ; ac ſecreta perſcrutantem cordium , quemadmodum Scriptores , atque a ſacra Rituum Congregatione adprobati teſtes prodidere memoriæ .

Juvat primum illud commemorare , quod ad cujuſdam occurrentis aſpectum , illum facinorum involutum ſordibus intellexit ; quodque ex odoratu percepit qui vel Servatoris divini obſequerentur præceptis , vel iniquæ Dœmonis dominationi ſubjicierentur .

Excitatum in platea S. Annæ flagrantiſſimum ignem , qui proximis abuſumptis Ædibus, in ſubjectas quoque protenderat flammas , ut compeſceret orans , latius non proceſſurum prænunciavit . Caveret tamen Cracoviæ populus , ne ad iracundiam iteratis ſceleribus divinam provocaret juſtitiam ; tunc enim atrociori perimendam incendio Urbem a Divo Epiſcopo Stanislao didicerat . Juxta viri Dei ſermonem ignis remiſit vis : verum a culpis non ceſſantibus Civibus, maxima Cracoviæ pars novis eſt deleta flammis .

Præ-

Præmonstratum sibi divinitus mortis diem, iis, quibus familiariter utebatur, præsignavit: pleraquæ intuitus est in longum eventura ævum, dilecto servo suo ad os ore loquente Domino (1).

CAPUT XVIII.

De Johannis obitu.

TErrestris hujus militiæ naviter perfunctum Cantium laboribus, æquum erat emerita donari corona. Imminente itaque dissolutionis præsignata die, quo domui suæ providentissime disponeret, qiudquid reliquum erat ad alendam vitam, ad domesticam suppellectilem, & corporis cultum necessarium. „ dispersit, dedit pau- „ peribus. „ *Psal.* 111. Animæ exinde ut sanctissime consuleret, Pœnitentiæ expiatam, Eucharistiæ communitam, Unctionis extremæ roboratam Sacramentis, Creatori lacrymis, ac precationibus illam commendans, mortis opperiebatur agonem. Ea gradum quum retardaret, vinculis carnis detineri spiritum conquerebatur, Prophetæ Regis ingemiscens vocibus. „ Heu mihi Domine, „ quia incolatus meus prolongatus est. „ Tandem adventare præsentiens, Academiæ Collegas ad mutuam dilectionem, pietatem, religionem, atque intemeratam Catholicæ fidei adhortatus doctrinam, Deiparæque deprecatus auxilium, in pervigilio nativitatis sui Divini Filii, a

 repa-

(1) *Servus meus Moyses, qui in omni domo mea fidelissimus est, ore enim ad os loquor ei.* Num. cap. 12.

reparato humano genere anno MCCCCLXXIII. septuagenario (1) major mortuus est in osculo Domini.

CAPUT XIX.

Johannis funus, sepultura, ac corporis translatio.

UT primum occubuisse Cantium ad Cracoviæ populum delatum est, mœror undique, fletus undique, & ejulatus. Ereptum sibi vindicem Religio, Doctrina Sidus, decus, & ornamentum Academia, parentem pauperes, miseri consolatorem ingemuere. Curando corpori certatim admovent manum Collegii majoris Professores, ac studiorum Alumni, feretro imponunt deducen-

(1) *Beatus Cantius agens ætatis annum* LXXVI. *supremum obiit diem. Quo autem recto me usum temporis syntagmate liqueat, consulat Lector Cracoviensis Academiæ monumenta, ac Anonymum Auctorem, qui* MDCXLVIII. *ejus conscripsit vitam. Prodidere illa studentium albo ejus Universitatis* MCCCCXIII. *dedisse nomen, &* MCCCCXV. *primam in Philosophiæ facultate fuisse assequutum lauream. Iste vero asserit* XVI. *ætatis suæ anno absolutis humaniorum literarum studiis in patrio Kentensis Pareciæ gymnasio Cracoviam contendisse, &* XX. *magistrum in Philosophia renunciatum. A* MCCCLXXXXVII. *igitur, quo ortum narravi, ad* MCCCCXIII. *quo ad Academiam se contulit, quum* XVI. *numerentur anni, &* LX. *ab anno* MCCCCXIII. *usque ad* MCCCCLXXIII. *quo decessit, erroris non videor inurendus nota. Improbandus tamen est Petrus Skarga, qui natum censet* MCCCCXII.; *ne dicatur quod vix e Matris avulsus uberibus fuerit laurea decoratus. Neque Adamo adhæreo Opatovio, affirmanti in lucem fuisse editum* MCCCLXXXX., *tunc enim non septuagenario, sed octuogenario major occubuisset.*

ducente ex omni ordine, atque ætate Civum conferto agmine ad S. Annæ ſacram Ædem; perſolutiſque juſtis, ſepulcro humili, ſed maximis prodigiis illuſtrando recondunt. Ad illud, quemadmodum Bernardus de Nyſſa Canonicus Uratislavienſis, & Decanus S. Floriani Clepardiæ mandavit literis, quo poſteris viri Dei præclara ingenii, ac ſanctitatis facinora portenderentur; Nicolaus Tanchen de Nyſſa Juris Canonici Doctor, atque ordinarius Profeſſor, hæc juſſit lapide inſculpi carmina:

Inter Gymnaſii clariſſima Cracovienſis
Lumina, grandævus ſenio, virtibus almus,
Septenas artes, & dogmata ſacra profeſſus,
De Kanty Doctor jacet hic Sleſita Johannes,
Qui puer &c.

Verum ejus nominis, atque ſignorum in diem latius Poloniam non modo, ſed & finitimas, diſſitaſque Regiones pervagata fama; ut ex illis confluentium gentium venerationi, ſacri tumuli cultus par haberetur; Clepardienſis Jacobus Sacræ Theologiæ Doctor, ac Cracoviæ Canonicus pretioſi pignoris translationi incumbens, a die ſuæ depoſitionis anno LXVI. e veteri elatum incorruptum & integrum, in ſtamnea incluſit arca; conſtructoque elegantis operis monumento ex Mettertico lapide, in editiori templi parte locavit. Demum MDCIII. recludi arcam quum contigiſſet, ſuaviſſimus e conſpecto corpo-

re

re erupit odor. (1) Aderat Bernardus Maciejovius Cracoviæ Antiſtes, Romana purpura, Gneſnenſique Infula poſtmodum decoratus, diuturni morbi conflictatione langueſcens: Concepto ille voto ad Beati ſepulcrum orans, ac ſe ei commendans, priſtinæ vatetudini eſt reſtitutus. Ut autem impertitæ gratiæ perpetuum monumentum extaret, ad Johannis Aram ſacris operatus, præter plurima ſplendidiſſima dona, Calicem protulit characteribus, qui ſui curationem edicerent, obſignatum. Sarcophago autem hæc eſt appoſita inſcriptio:

DEPOSITUM
JOHANNIS CANTII
TEOLOGIÆ DOCTORIS.
QUEM IN BEATORUM NUMERUM RELATUM,
ET VITA SANCTISSIME ACTA,
ET POST MORTEM EDITA MIRACULA TESTANTUR.
SATIS COLUERIS, SI FUERIS IMITATUS.

* *
*

CA-

(1) *Ipſo autem tempore Jubilei, dum renovando ſepulcro Beati Cantii in Eccleſia S. Annæ Cracoviæ fundamenta cœpta ſunt moveri vigeſima tertia Maji, feria ſecunda, inventa ſunt oſſa viri Beati cum Vrna ſtamnea affixa uncis ferreis: Templum hoc fragantiſſimo odore, quem & ego, & alli plurimi cum non exigua conſolatione egregie hauſimus, impletum eſt.* „ Johan. Januſovius in op. edito MDCIII.

CAPUT XX.

Qua virtutum fama, atque existimatione dum viveret, atque post mortem fuerit clarus.

QUum Cantius in humanis ageret, suo Cracovia fovebat sinu Sventoslaum Presbyterum sæcularem, Simonem de Lipnica Fratrum Minorum de observantia S. Francisci, Stanislaum Casimiritanum Canonicorum Lateranensium professum regulam, Isaiam ex Eremitarum S. Augustini familia, & Michaelem Gedroicium e Ducibus Lithuaniæ ortum, Canonicum Regularem S. Mariæ de Metro, spectatæ sanctitatis viros, ac dignos qui Beatorum nomine censerentur. Plurimi hos faciens Johannes, perfunctus Cathedræ laboribus, atque Christianæ pietatis exercitationibus adibat, quo institutæ vitæ rationem, virtutes, ac exempla imitaretur; conscientiæ suæ consultores, moderatoresque adhiberet, & colloquiis de divinis rebus perfrueretur. Alter ergo alterum mutua prosequutus dilectione, præcipue tamen Supremi Numinis, ac proximi charitate, quæ in ipsorum insederat cordibus, ad catholicam tuendam fidem, & animarum promovendam salutem provocabantur. Tanto muneri subeundo, uti ingenio, & fortitudine præstantior ceteris Cantius, illos suasores habuit, quo verbi Dei prædicatione, & sanæ doctrinæ firmitate probata, afflictis christianæ Religionis rebus opem

opem ferret, & circumſedentem Poloniæ ſolum hæreticam peſtilentiam arceret (1). Hac ignis veluti ad ignem acceſſione, incredibile eſt quam naviter, quamque ſtrenue a zizaniis purgando Dominico agro laboraverit.

Spectantium proinde admirationi par amor, exiſtimatio par, par cultus; nec noſtrorum tantum celebratus præconiis, ſed & illorum, ad quos aut ſuæ eximiæ eruditionis, & ſanctitatis nomen delatum eſſet, aut ipſe inſtitutis peregrinationibus pertigiſſet; habitus juſtitiæ forma, pietatis exemplar, veritatis aſſertor, fidei propugnator, doctor præclariſſimus, hæreticorum malleus, oculus cœco, pes claudo, ac verbi Dei diſpenſator fidelis. Nec ipſius recedentis a ſæculo memoria periit cum ſonitu; quo enim pacto ex omnium conſpectu, & ex omnium ſermone eripi pateretur virtus, beneficentia, doctrina, pietas, quibus de omnibus plæclariſſime meritus, deſiderio ſui omnium devinxerat corda? Verum quum ea, quæ hac in re mihi adſtipulantur, continuo narrandis conferant; præſenti capiti finem faciam Spiritus Sancti elogio. „ Non recedet memoria ejus, & nomen ejus „ requiretur a generatione in generationem. „ *Eccl. c.* 39.

CA-

(1) *Hinc factum eſt, ut quotquot eſſent tum vitæ inſtituto, tum morum conſonantia ipſi perſimiles, minime ſeſe a calore amicitiæ ejus abſcondere valerent, quin ſubito dexteras illi concederent, ſanctaque laborum, ac conſiliorum communicatione ipſum ad opus Evangelii purgandum fortiter inſtigarent.* Martinus Baronius Jaros avierſis in vita B. Stanislai Caſimiritani anno MDCIX. loquens de Beato Johanne Cantio.

CAPUT XXI.

De cultu ab immemorabili Johanni præstito.

QUum corpus ſpiritui ad ſuorum hoſtium victoriam, uti militi arma, non tantum inſerviat; verum etiam comes laborum ſit: iſto in Cœlos properante ad victoriam, ſua & illud mercede non fraudatur in terris. Oſſa porro juſtorum ſepulta in pace, venerationem, cernimus promereri fidelium; gratiis, quibus ii ad eorum Lipſana ſe proſternentes dignantur, oſtendente Domino quanta ſanctitati impendatur gloria. Excepit Johannis corpus ſepulcrum, excepit & gloria eo cultus ſplendore, quem munera aurea, ac argentea, votivæque teſtantur tabulæ. Harum, quæ vetuſtiores, primam ab ejus obitu ſecundo anno, alteram quartodecimo fuiſſe appoſitas conſtat, quin alias maximi recenſeam numeri, & illius Aræ pro defunctis vel ab anno MDLXXX. per Gregorium hujus nominis XIII. ſummum Pontificem privilegiatæ ad latera ſuſpenſas, & in Archivio Collegiatæ S. Annæ aſſervatas (1).

(1) *Ex argenti opere præter eximiæ magnitudinis pedem & Calicem deauratum in ſupradicto Archivio Eccleſiæ Collegiatæ S. Annæ plurimæ ſpectantur votivæ tabulæ. Inter eas duodecim e ſuis torquibus ejuſdem metalli propendentes, ae una, & altera a Kentenſibus Civibus oblatæ numerantur præſtantiores. Harum utraque ob propulſatam e patriis laribus peſtis luem eſt appoſita, prioris ea eſt inſcriptio.*

Quid autem de Iconibus virum Dei exprimentibus scribam ? Antiquissimæ illæ , atque permultæ ejus vel sanctitatem , vel doctrinam , vel prodigia , vel populi configurantes devotionem . Extant & ad ipsum precariæ notæ ad Litanias efformatæ ; extat & officium Polonico idiomate elaboratum , typisque editum ; extant & in pergameno centum quinquaginta duo conficta carmina , ejus vitam , & gesta complectentia , quorum nonnulla proferam , utpote vetustioris memoriæ præstantissimum monumentum .

Carmine ne sileas mecum mea tibia laudes
Gentis Hyperboreæ &c.
Lux , decus , atque Pater Patriæ , tutela salutis
Nobis Cantinus notus probitate Johannes .
Hacque sua specula &c.

Demum , recensito obitu , ad pergameni calcem , annus , ac dies illius sic prænotatur . „ Millesimo quadringentesimo septuagesimo tertio die vigesima quarta „ Decembris . „ Ad

Accipe votivam pulsa pro peste tabellam ,
Indigenæ quam dant , dive Patrone tibi .

Clerus , Populusque Kentensis Johanni Cantio suo D. Anno Domini MDCXXVI. -- *Hæc vero alterius : Tabella ad æternam memoriam a Civitate Kentensi dicata Domino Deo in Trinitate uni , Sanctissimæ Matri Dei , & B. Johanni Cantio in signum gratitudinis , quod in sævienti plaga pestis, per votum unanimiter factum ad B. Patrem , & Protectorem suum mirabiliter præservata , & consolata est . Anno* MDCXXXIII.

Ad hæc potiora argumenta Johanni exhibiti cultus, bina, quamvis recentioris memoriæ Vexilla accedant, ad Viennam Austriæ e Turcarum erepta manibus, & ipsius affixa sepulcro a strenuissimo Poloniæ Rege Johanne III., quo ad illud, exoratæ Victoriæ anteaquam congressurus cum hoste regno migraret, gratiam tutelari Divo referret acceptam.

CAPUT XXII.

De miraculis a Johanne patratis.

QUanti Deus Sanctorum suorum faciat merita, haud dubium quin ab ipsis edita testentur signa. Quumque eis non desit potentia, nec voluntas deesse potest; de sua enim felicitate securi, de nostra soliciti ad suos cineres, ad suas Aras, atque imagines orantibus propitiaturi ante thronum divinæ Majestatis assistunt. Hanc virtutum gratiam & Cantio fuisse collatam nemo est, qui non videat; nam quæ adhuc in vivis agentem clarum effecere miracula, inter cœlites commorantem splendidiora, & amplitudine, & copia sunt prosequuta. Nihil porro in humanis est votis, quod deprecantes ipsius intercessione non fuerint assequuti: nullum morborum genus, quod ab ipso non fuerit profligatum. At singula hoc loco complecti quum valde operoso labore scateat; cœcis siquidem, claudis, surdis, atque amentibus omissis, quibus pristinam valetudinem est impertitus; sex supra viginti mortuos ad vitam revocasse

nonnulli prodidere Scriptores; ea ſolum narrare pergam, quæ in *Sac. Rit.* Congregatione propoſita coram Sanctiſſimo, atque ſupremo Chriſtianæ Reipublicæ Paſtore CLEMENTE XIII. feliciter imperante, adprobata fuerunt. Ut ſuo digeſta ſunt ordine, horum.

PRIMUM.

Acri tuſſi, ad cruorem putreſcenti ſputo, ac ingrate admodum redolenti reſpiratione, in atram tertio ætatis anno erupit phthiſim hæreditaria tabes, quam Sebaſtianus Luzark e patris conceperat ſemine. Late ſe protendente morbo, hydropis indolem cum alvi induit intumeſcentia, in grandem maciem declinante ſuperiori corporis parte. Nil non tentatum a Medicis ad morbi coercendam colluviem, illius tamen contumacia artis pharmacis quin frangeretur, ad nonum ætatis annum progredientem puerum morti jam maturaverat. Atrocioribus eo temporis cœperat ſymptomatis cruciari. Vehementior inſurgebat ferme nunquam remiſſa tuſſis, pus ore ſcatebat tabidum, gravior anhelitus accedebat compreſſio, ac aſſidui, colliquanteſque effluebant madores, per quæ illum in deploratum eſſe vitæ diſcrimen adductum, Medici pronunciavere.

Acerbiſſimo hoc perculſa nuncio Sebaſtiani Genitrix, ut extremum periculum faceret, Religioſum e Societate Jeſu in Collegio S. Petri Cracoviæ moram trahen-

hentem, ac ſatis medica callentem adit; deprecaturque morienti velit ſuccurrere Filio. Pergit ille e veſtigio inviſere puerum, ac ſumme attriti corporis habitum, crebraſque convulſiones ſcrutatus, nullam ab humana ſcientia eſſe repetendam opem, Matrem admonet; ultra tres ſiquidem dies protrahi haud quaquam poſſe ejus deprehenderat vitam.

Qui miſeræ dolendi modus? Ad lacrymas uſque, ad ſuſpiria, ad ſingultus uſque mœrori indulgens, potiſſimam ſibi eripi cordis partem lamentabatur. Agar Abraham ancillæ inſtar, morientem Filium ne intueretur, ſedens contra levavit vocem ad Cœlum, nec fruſtra; nam ejus conſilio adventaſſe crediderim Alexandrum Janicki, qui illam dilecti pignoris a medicis deſperatam ſanationem, ut a Cantio expoſceret hortaretur. Forte e cubiculi parietibus Beati pendebat imago; ante illam genibus procumbit mœſtiſſima Mater, enixe rogans ut ferat opem, quando nulli forent ſibi humana præſidio. Cereas faces ad ejus ſepulcrum oblaturam ſe ſpondet, curaturam Sacerdotem, qui ad ejus Aram Sacris operam daret. Vovit, implevit: ſtatimque ſymptomata elanguere morbi, detumuit alvus, puer convaluit, ac in poſteram diem e lecto exiliens, ſoſpes eſt redditus Matri ſuæ.

SECUNDUM.

Decem & octo annorum puellam Hedvigem Paskovnam acuta, diriſque ſtipata ſymptomatis febris, adeo profliga-

fligaverat viribus, ut morti jam proxima videretur; in id conſpirantibus frequentiſſimo delirio, aſſiduis vigiliis, reſpiratione præpedita, oris ingenti phlogoſi, & potui, ciboque interdicto gutture. Per unam, atque alteram hebdomadam immani impetu graſſata morbi lues, crinibus omnibus revulſis e capite, ſupremam induerat maciem; quum ex Monialibus, quas dicunt de *Charitate* Soror, juxta regionis morem accerſitur ad curandam Hedvigem. At nullum medicamini illa conſpicata relinqui locum, quamcito migraturam denunciat. Valere exinde juſſis adſtantibus receſſit. Amantiſſima nihilominus mulier maternæ ſolicitudinis nihil omittens, divino colluſtrata lumine, ſupernaque acta fiducia, quæ neminem fallit; ad Cantii ſepulcrum properat; effuſa in lacrymas orat; ad Miſſæ Sacrificium eleemoſynam tradit, quo periclitanti Filiæ præſto foret ille, cujus merita plurimum apud vitæ auctorem valere, innumeræ teſtabantur in ſui deprecatores collatæ gratiæ. Proh mirum! Ut peragi cœptum eſt ſacrum, non ſecus ac injecta aqua ignis furor opprimitur, febris ardor ſtatim extinctus eſt. E placida ſomni quiete evigilaſſe crediiſſes puellam; tanta porro e lecto corporis, atque animi alacritate ſurrexit, ut nullo unquam videretur ægræ valetudinis fuiſſe incommodo affecta. Cibum ſibi parare jubet, menſæ aſſidet, diu impaſta membra, & ad internecionem morbi pernicie proſtratas corporis reficit vires; ac revertenti occurrens Matri, in illius ruit amplexus.

TER-

TERTIUM.

Salova pagus Cracoviensis Palatinatus est. Ejus loci Cauponæ adjacebat puteus, in quem equina dejiciebantur stercora, sordesque viæ omnes defluebant, aquarum actæ colluvie. Vaporibus inde solis æstu reductis, aer quum grave, & ad perniciem oleret, indigenæ ad Prætorem querelas deferunt; eoque puteum expurgari imperante, ex viris, & mulieribus, qui ad opus conficiendum fuere conducti, Marianna Gavlizka, ac alter Sebastianus nomine, ex fœtore sordium iniqua concepta valetudine, decubuerunt. Hic per tertiam, quartamque hebdomadam colluctatus cum febri, tandem imminutas, quamvis ægre reficit vires. At Mariannam durius corripuit fatum, capitis vehementium cruciatuum accessione, ac hemorragiæ, quæ triduum uberrime manavit per intervalla recurrens. Hanc pravus consequutus est rigor, virium languor fortissimus, summa oris, ac linguæ ariditas, ardor corporis, ac sitis in immensum evadens, contumaces vigiliæ, ac flammatus faciei rubor, quin ad morbi impetum refrenandum conducendi medici fieret copia.

Adeo acerbam dolens vicem anxius conjux, nobilem Salovæ Matronam adit, illam rogans, ut quoquo pharmaco poterat, immani uxoris medererur morbo: illaque unam, atque alteram medicati vini heminam exhibente revertitur, propinat. In deterius tamen inclinata res

res eſt ; nam atrociora ſucceſſere ſymptomata ex vaniloquiis, atque deliriis, quæ certum vitæ portendebant diſcrimen. Advocatur hinc Parochus, quo pereunti divina pararentur præſidia; nec diſtulit Paſtor, exceptaque Sacramentali confeſſione, ſacram protinus miniſtravit Euchariſtiam, ad eam deglutiendam per fauces ob ſiccitatem immiſſa aqua.

Octava hebdomada jam evoluta, interceperat nona loquendi facultatem, gravioraque per mentis oppreſſionem, cœterorumque ſenſuum profligationem incommoda induxerat, inhibitis excretionibus, rigentibus artubus, ac horrifico intuitu decumbentem tam fœde labefactantia, ut ab omnium oculis eliceret lacrymas. Quum autem id unum adhuc viventis indicium eſſet, guttatim videlicet delibata cerviſia; præſentiſſimæ mortis admoniti adſtantes, properandum eſſe ad Parochum clamaverunt, ut ille Mariannæ corpus ſacro inungeret oleo, atque ex eo abeuntem animam conſuetis Eccleſiæ precationibus Creatori ſuo commendaret. Acceſſit, riteque perſolvit omnia Parochus, ac candela de more incenſa viri caſum talibus miſeratus. „ Miſerum te! Conſor„ tem vitæ perdes „ diſceſſit.

Ut a majoribus inſtitutum acceperant, e lecto amotam humo obducta ſtramine Mariannam imponunt, ejus adhibita dextera ad Crucifixi imaginem, ſiniſtram ad ſuſtentandam candelam: verum neutra id præſtare valente, munus ſubit conjux & ipſe ferme exanimis. In eo extremæ pietatis in uxorem officio, adjecit hic animum

at

ad B.Cantium, cujus ſignorum virtus noſtris, atque imago a multis annis ejus pagi accolis celebris jam habebatur. Illius ergo opem imploraturus præpropero gradu fertur ad Parochum, ut accepto ſtipendio ad viri Dei Aram faceret ſacrum; at ex deguſtato cibo in craſtinum dilata quum divina res eſſet, ad altare provolutus in genua, orat; fidenſque tanto Patrono paternas repetit ædes; reliquam diei partem, totamque inſequentem noctem viri occupante ſolicitudine, ac uxoris colluctatione cum morte.

Summo mane evigilans Parochus, propitiationis hoſtiam inſtituit, cujus ſigno ex ære campano accepto *Mariannæ* vir, accurrit ad Templum, inſtaurat preces, ac ſuſpiria cum fletu commiſcens, ad Cantii imaginem triſtia convertit lumina. Quorſum hæc? Nondum erat abſolutum ſacrificium, quum moribunda fœmina integris viribus repente ſurrexit, inſidenſque in ſtramine, propinari ſibi poculum poſtulavit. Sed & parata ad ejus nutum celerrime juſcula quum commediſſet, nec capitis dolore, nec deglutiendi difficultate, nec alio quoquam affecta incommodo, poſt meridiem valens corpore, & animo per conclave deambulavit ad otium; & altera illuceſcente die domeſticis, ut antea aſſueverat, muniis ſtrenuam navavit operam.

QUARTUM.

Coriarius mercator Antonius Olexowiez ex itinene fatigatus, umbram captans conſederat; qua ad ſo-

mni delectatus quietem, evigilans in utraque sui colli parte infimæ auriculæ continua animadvertit apostemata intumuisse; quæ anseris ovum magnitudine exæquavere. Hinc dolor adeo vehemens, ac virium tanta accessit infirmitas, ut recurvatis pedibus viæ reliquum, nisi curru vectus conficere nequiverit. Sui necessarii consilio, emplastro usus ex cera, illa ad suppurationem celerrime maturavit; sed pure quamvis large manaret lenitus, sed non extinctus est cruciatus; novis in diem tuberculis ad jugulum erumpentibus, quin ad cicatricem coalescerent; non secus priora dolentissimis, atque intolerabili tabo scatentibus. Nec eam colli partem, universumque jugulum; verum & cervicem teterrima occupaverat lues ex tribus, & viginti foraminibus fluens; inter cætera tamen fœdissimum mento infixum hærebat ulcus, quo penetratus œsophagus immissum cibum, potumve rejiciebat: quapropter illis retinendis opus erat ut linteis collum perstringeretur.

Triennium fere in eo deplorabili statu non exteris tantum, sed suis etiam fastidio, hominum & ipse aversatus consortium, rusticæ se vitæ commisit: nullo parato medicamine præter symphiti folia, ne linum circumpositum collo quum explicaretur, coalescens pus revellendo, major exulceratæ partis fieret dolor. Nonnullis hortatoribus tamen quarumdam herbarum aquam, qua ulcera abluerentur, a sene sibi instrui passus est; nec illam iterato admisit, nullum siquidem levamen expe-

experiebatur. Forte nobilis Eques Johannes Suykoski iter faciens in Antonium offendit, ad cujus aſpectum in horrorem, miſerationemque actus, eum in itineris exceptum comitem, Tarnoviamque perductum, Chirurgo commendat; quo pacta mercede curationem atrociſſimorum ulcerum aggrediatur. At largiori pecuniæ inhians iſte, ſanationis operi imparem eſſe propoſitam affirmans; ſe facturum periculum negat, niſi ſummo ære dinumerato: exoratuſque ut ſaltem emplaſtrum aliquod admoveret ulceribus; inaudita animi efferitate, & hoc leve renuit Chriſtianæ pietatis officium. Tum demum Antonius maximis nobili viro repenſis gratiis: *Vale*, inquit; & quoniam, iniquæ mercedis ſpe, tuo ſum fraudatus auxilio, præſtantiorem conquiſiturus Chirurgum recedo. Beatum adibo Johannem Cantium, ipſe ad priſtinam ſanitatem me revocabit. Nova itaque adventante aurora, Presbyterum convenit, attributaque parte pecuniæ, quam pro reditu a Johanne Suykoski acceperat dono, ut Beati Cantii ad Aram ſacris operaretur; Sacrificanti eà adſtitit animi firmitate, ut, quamvis fractus viribus ægre genibus conſiſteret flexus, incolumis jam videretur. Votis par fuit rei exitus: ut enim ad conſecrationem ventum eſt, ſtatim receſſiſſe ſenſit dolores, eſſe exſiccata ulcera, nullo ſe cervicis vitio, nulla membrorum imbecillitate teneri; atque in poſteram tantum diem cicatricibus conſiſtentibus, in tertiam collum, jugulumque obducta carne apparuere, abſque ullo fœditatis veſtigio.

QUINTUM.

Invecta rheda mercibus onerata, ex nundinis Oppidi Kety, in quo natus est Johannes, Zyveciam repetens Teresia Chylinska ad *Sola* amnem intenderat iter; sed colliquentibus nivibus ille quum exundaret, prohibita pervadere vehiculo in adversam oram; proximi montis invia conscendit, comparatis equis ad sarcinas asportandas. Ne callis asperitate detrimenti quid caperetur, consequente mercatrice fœmina præibant muliones: nihilominus ex equis cespitante uno, excussæ ab ephippiis cistæ illabentes se demiserunt in aquas. Emersere statim e profundo alveo adnatantes, præcipitique fluminis abreptæ impetu, non mercium tantum; verum &. ingestæ cistis pecuniæ Domina inani gemitu adplorante jacturam. Fletum occupat stupor; verum solicitudine hunc evincente, equorum ductores, pastoresque in vicinia agentes pecora, advocat, plurimam mercedem pollicita, quo ad recuperandas merces se committerent aquis. Abnuentibus illis, certo enim vitæ periculo deterrebantur, subit desperatio Theresiam, ac bacchantis instar longa per fluvii ripas emensa spatia, in illum se dedisset præcipitem, ni meliori afflata consilio ad B. Johannis Cantii respexisset auxilium. Protinus advolvitur humi, gemitibus operosis divi efflagitat dexteram. Nec est neglecta precatio; vix enim ea concepta, advenit There-

siæ

ſiæ famula, itinerisque comes nuntians adverſa amnis recurrere ciſtas. Hæſitavit tamen, ingenti forſitan aſſequuti voti fidem adimente lætitia; ſed ad iteratum nuncium Dominici Sellarii, cujus ceſpitaverat equus, omnis eſt ratio ambigendi ſublata: ſpectatum ſiquidem conſurgens contra aquarum impetum, nitentes merces appuliſſe jam videt ad fluminis oram, quæ illas decidentes exceperat. Eductas inde Sellarii manu recipit, ac tanti in ſe collati beneficii ad Johannis aram domum redux perſolvit gratias.

Cœterum quæ de Cantii vita, rebuſque ab eo geſtis narravi, extremis veluti calami labiis ſunt delibata. Attamen haud mihi ſuccenſeat Lector, temporis namque nec adfuit copia, nec uberiora fuere exhibita monumenta: Illud adeo anguſtum, ut vix ſcribendo ſuffecerit; hæc tam exigua, ut ſingulis capitibus æquam dolendum fuerit ætatis injuria fuiſſe ademptam meteriam. Scribendi mihi demandatam provinciam, IV. Kal. April. hujuſce anni MDCCLXXVII. ab humani generis inchoata reparatione aggreſſus ſum, quo divini nominis gloria, quæ in tanto noſtri Regni Patrono mirandum in modum claruit, longius, atque latius propagaretur; & ipſius ſummi viri memoria, quæ nobis grata ſemper fuit, atque jucunda, ab hominum oblivione vindicata, ad exteros etiam nunquam interitura pertingeret. Animis præterea mortalium, quibus hæc libuiſſet legendo percurrere, egregie mihi videbatur proſpectum iri, præclaro ipſius virtutum

tutum exemplo. „ Sicut enim ex igne ſuapte natura „ emicat ſplendor, ex unguentoque præſtanti ſuavis „ diffunditur odor: ſic e Sanctorum commemoratio- „ ne geſtorum ad omnes provenit emolumentum „. *S. Baſil. orat. ad Gord.* Tum demum unumquemque rogatum velim, ut ſi quid animadverſione dignum vel offenderit, vel habuerit, id mihi pro ſuo Chriſtianæ charitatis officio benigne indulgeat; quum emendandi operis non fuerit locus, & ab ingenii mei imbecillitate nequeant expeti meliora.

SYNOPSIS

Scriptorum, quorum literis B. Johannis Cantii Sanctitas eſt commendata.

PRIMUS

A Beati deceſſu.

ANNO XX.

Hertmannus Schedelius, in opere de Mundi temporibus, edito Norimbergæ anno MCCCCLXXXXIII. ſub titulo de Cracovia Urbe Regia Sarmatiæ *fol.* 28. „ Beatus „ Cantius celebris hujus Urbis Gymnaſii Doctor multis „ miraculis, & prodigiis fulget, quamvis nondum in „ Catalogum Sanctorum relatus ſit „.

* * *

* *

*

SE-

SECUNDUS

ANNO XXXXVIII.

Matthias de Miechovia Canonicus Cracovienſis, in Hiſtoria Regni Poloniæ impreſſa typis anno MDXXI. *lib.*4. *cap.* 69. *fol.*337. „ Anno ſeptuageſimo tertio ſupra mil-
„ leſimum quadrigenteſimum celeberrimus, atque egre-
„ gius vir Magiſter Johannes de Canty &c. in vigilia Na-
„ tivitatis Chriſti mortuus eſt, & in Eccleſia S. Annæ
„ ſub Ambona ſepultus; qui eodem anno ſignis, & ope-
„ ribus coruſcare cœpit, & uſque in hanc diem varios
„ languores, diverſoſque morbos hominum, & jumen-
„ torum divina propitiatione ad vota, & invocationem
„ nominis ſui relevat, ut adſcriptione Decalogi Sancto-
„ rum digniſſimus inveniatur „.

TERTIUS

ANNO LXXI.

Johannes de Trzciana in vita B. Michaelis Gedroicii conſcripta anno MDXXXXIV. „ Beatus Johannes Can-
„ tius, qui ad S. Annam poſt obitum miraculis claret „.

QUARTUS

ANNO CXIV.

Stanislaus Sarnicius in annalibus, ſive de origine Mundi, & rebus geſtis Polonorum, & Lithuanorum con-

conſcriptis anno MDLXXXVII. „ Ob vitæ frugalitatem, „ modeſtiam, eleemoſynas inter Divos eſt relatus: Sanctus Canty vulgo vocatur „.

QUINTUS
ANNO CXXX.

Laudatus a me cap. XIX. Johannes Januszovius in compendio Jubilei Cracoviæ celebrati anno MDCIII. poſt recenſitum odorem, qui effluxit ex oſſibus B., dum ejus ſepulcrum fuit recluſum, hæc ſubdit. „ Quo nuncio longe, lateque divulgato multa hominum agmina, „ non ſecus ac examina apum currebant ad B. Viri tumulum, ejus orationi, ac interceſſioni ſeſe commendantes, variaſque conſolationes referentes „.

SEXTUS
ANNO CXXXVI.

Martinus Baronius in lib. cui tit. Vita, geſta, & miracula B. Stanislai Canonici Regularis edito MDCIX. „ Tertius quoque B. Cantius Academiæ Cracovienſis Profeſſor, viginti ſex mortuorum reſuſcitator magnificus „.

SEPTIMUS
ANNO CXXXXII.

Andreas Granoskius in vita B. Michaelis Gedroicii conſcripta MDCXV. „ vel B. Cantium &c. qui miraculis

„ cla-

„ claret „ *&* *infra* „ Multorum mortuorum orationi-
„ bus, & meritis ſuis ſuſcitatore glorioſo „.

O C T A V U S

ANNO CXXXXVIII.

Stanislaus Zakrzevius in concione de B. Cantio habita MDCXXI. „ Magnus cultor fuit Romanæ Sedis Cantius, „ & eam frequenter pedibus adibat, ut veneraretur terram illam, quam Apoſtolorum diva veſtigia preſſerunt „ Quum vero eam typis mandaſſet MDCXXIII. in Litera dedicatoria ad *Epiſc. Cracovien. hæc habuit*. „ Claram patriæ noſtræ facem, ardentem Dioecesis Cracovienſis candelam, ſplendentem, & flammantem Regiæ „ Urbis Cracovienſis lucernam, B. Johannem Cantium „ Veſtræ Reverendiſſimæ Celſitudini offero: ſanctitate „ celebris, doctrina glorioſus, magnis de Cœlo donis „ locupletatus „.

N O N U S

ANNO CLIV.

P. Abraham Bzovius in *lib.* Annalium Eccleſiaſticorum typis mandato Coloniæ Agrippinæ MDCXXVII. *tom.* 8. *fol.* 83. *num.* 21. ad annum MCCCCLXXIII. „ Hoc „ anno celeberrimus, ac egregius vir Magiſter Johannes „ Cantius, Profeſſor, & Lector ordinarius Sacræ Theolo- „ giæ in Gymnaſio Cracovienſi, in pervigilio Nativitatis „ defunctus, & in Eccleſia S. Annæ ſepultus, ſignis, &

„ miraculis coruſcare cœpit, & uſque in hanc diem varios languores, diverſoſque morbos hominum, & jumentorum curare non deſinit; adeo ut dignus cenſeatur qui Cathalogo Sanctorum inſcribatur „.

DECIMUS

ANNO CLXXIV.

Spondanus in proſequutione Annalium Baronii impreſſa MDCXXXXVIII. *tom.* 2. ad annum MCCCCLXXIII. „ Hoc vero item anno, Miechovius celeberrimi Doctoris Cracovienſis Johannis Cantii obitum ponit, ac multis, & ſtupendis miraculis ſanitatum; necnon mortuorum reſurrectionibus coruſcare cœpiſſe, & ad ſua tempora perſeveraſſe ſcribit „.

Nec alii deſiderantur præclari nominis veteres, recentioreſque Scriptores; verum ab iis abſtineam, quum jam recenſitos, & numero, & auctoritate plurimum valere intelligam; & ſuarum virtutum fama ſatis clarus Johannes ubique terrarum habeatur. „ Quoniam mirificavit Dominus Sanctum ſuum. *Pſalm.* 4. „

FORMA

Apoſtolici judicii ſervati in Cauſſa Canonizationis B. Johannis Cantii.

Novis in diem ſignis Johannes quum effulgeret, ac ſanctitatis fama latius celebraretur, per Cracovienſem

ſem Antiſtitem, de ipſius vita, moribus, atque miraculis eſt inſtitutus Proceſſus; quo confecto, ac mature diſcuſſo, Urbanus VIII. P. M. ex ſpeciali commiſſione ſuo charactere obſignata, diſcutiendam Cauſſam commiſit Sacrorum Rituum Congregationi, præcepitque, ut generali omiſſa, ad particularem Inquiſitionem procederetur. At quia ea haud quivit inſtrui, adacta eſt cauſſa ſilere, donec 1666. ad trutinam revocari contigit; novam commiſſionem reaſſumptionis in ſtatu, & terminis, in quibus cauſſa ipſa reperiebatur Alexandro VII. P. M. admittente, atque ſignante.

Literis exinde remiſſorialibus expeditis, ad conſtruendum particularem Proceſſum ſuper cultu immemorabili eidem Beato exhibito, & caſu excepto a Decretis ejuſdem Urbani VIII., hoc abſoluto per Reverendiſſimum Epiſcopum Laodicenſem, ab eodem eſt lata pro utroque ſententia; cujus adprobatio a S. Congregatione die 21. Martii 1676. prodiit per hujus modi Decretum:

„ In cauſſa Canonizationis prædicti Beati per Emi-„ nentiſſimum, & Reverendiſſimum Dominum Cardi-„ nalem Vidonum Ponentem, propoſito & diſcuſſo Du-„ bio in ſacra Rituum Congregatione „. An ſententia Reverendiſs. Epiſcopi Laodicenſis Judicis ſubdelegati lata, ſuper cultu immemorabili eidem Beato exhibito, & caſu excepto a Decretis *fel. record.* Urbani VIII., in Congregatione Sanctiſſimæ Inquiſitionis editis, ſit confir-

manda, in casu, & ad effectum; de quo agitur?
„ Eminentissimi, & Reverendissimi Domini Cardinales
„ eidem sacræ Congregationi Præpositi, audito pariter
„ Reverendissimo Domino Fidei Promotore in voce,
„ & in scriptis, censuerunt constare &c., & prædictam
„ sententiam esse confirmandam, si Sanctissimo Domi-
„ no nostro placuerit „.

Hac die 21. *Martii* 1676.

„ Et facta de predd: Sanctissimo relatione per me
„ Secretarium, Sanctitas sua benigne annuit „.

Die 28. *ejusdem mensis Martii* 1676.

Illas novæ consequutæ sunt Literæ pro speciali Inquisitione; quæ dum institueretur, Innocentius XI. P.M. ad Serenissimi Poloniæ Regis preces die 27. Septembris 1680., ut in anniversaria die obitus B. Johannis Officium, & Missa de communi unius Confessoris non Pontificis, sub duplici ritu in Civitate Cracoviæ, ac in universo Poloniæ Regno recitari, atque celebrari posset, benigne annuit; ut ex subjecto Decreto constat: justis de caussis postmodum concedente eadem sacr. Rit. Congregatione, ut solemne transferretur festum in diem 19. Octobris.

„ Cum Sacra Rituum Congreg. habita die 21. Martii
„ 1676., annuente etiam Sanctissimo die 28. ejusdem Men-
„ sis & anni, proposito per Eminen. D. Card. Vidonum

„ ac

„ ac discusso Dubio . „ An sententia Reverendissimi Episcopi Laodicensis Judicis subdelegati, lata super cultu immemorabili prædicto Beato Johanni Cantio exhibito, & casu excepto a Decretis *fel. ricord.* Urbani VIII. , in Congregatione Sanctissimæ Inquisitionis, super non cultu editis, sit confirmanda. „ censuerit constare de cultu „ immemorabili , & prædictam Sententiam esse confir-
„ mandam . Nunc vero Sanctissimus Dominus Noster
„ Innocentius XI. piis precibus sibi porrectis a Domino
„ Duce Michaele Radzivil, Serenissimi Joannis III. Regis
„ Poloniæ apud Sanctitatem suam Oratore obedientiæ,
„ nomine præfati Serenissimi Regis, benigne annuendo
„ indulsit, ut imposterum quolibet anno die anniver-
„ sario obitus dicti Beati possit recitari Officium , & ce-
„ lebrari Missa de communi Confessorum non Pontifi-
„ cum, in Civitate Cracoviæ , & in toto Regno Poloniæ
„ sub ritu duplici , juxta rubricas Breviarii , & Missalis
„ Romani, ab omnibus Christifidelibus utriusque sexus
„ tam Sæcularibus , quam Regularibus , qui ad horas
„ canonicas tenentur , quibuscunque in contrarium non
„ obstantibus , & literas in forma brevis expediri man-
„ davit. „

Hac die 17. *Septembris* 1680.

Inquisitione interea speciali peracta , ejusque comprobata validitate, die 5. *Junii* 1698. instructum examen est virtutum in gradu heroico , quarum adprobatio die 4. *Julii* 1733. per subsequens manavit decretum.

„ Cum

„ Cum in caussa Canonizationis B. Johannis Can-
„ tii Presbyteri Sæcularis, & in Universitate Academiæ
„ Cracov. Professoris, post approbatam a *Sac. Rit. Cong. die*
„ 21. *Martii* 1676. cum subsecuto Summi Pont. beni-
„ gno assensu sententiam, ad Episcopo Laodicen. Judice
„ subdelegato latam, super cultu immemorabili ipsi Bea-
„ to exhibito, sive casu excepto a Decretis *san. mem.*
„ Urbani VIII., nec non etiam post concessionem il-
„ lius diei Festi cum Officio, & Missa de *Com. Conf.*
„ non *Pont.* sub ritu *dupl.* pro Civitate Cracovien., ac
„ universo Regno Poloniæ sub die 17. *Septembris a*
„ *san. mem.* Innocentio Papa XI. factam, constructi
„ fuerint Processus Apostolici super virtutibus, & mi-
„ raculis in specie, dicti Beati. Quare examinata su-
„ subinde validitate eadem, a Sac. Rituum Congregatio-
„ ne die 5. *Octobris* 1697., annuente quoque Summo
„ Pontifice fuit approbata; his itaque peractis ad instan-
„ tiam Canonici *Robertson.* hujusmodi causæ Postula-
„ latoris, nomine etiam Universitatis Academiæ Craco-
„ vien. ex dispensatione Apostolica per Eminentissimum,
„ & Reverendissimum Dominnm Cardinalem Pico Peno-
„ nentem, in Sac. Rituum Congregatione ordinaria ab-
„ sque interventu Consultorum infrascripto Dubio pro-
„ posito, nempe „ An constet de virtutibus Theologali-
bus, & Cardinalibus, nempe Fide, Spe, & Charitate
in Deum, & proximum; & de Cardinalibus, Prudentia,
Justitia, Fortitudine, & Temperantia, earumque an-
nexis in gradu heroico, in casu, & ad effectum, de

quo

quo agitur . ,, Sacra eadem Rituum Congregatio, in ſcri-
,, ptis , & in voce Reverendiſſimo Cavalchini Archie-
,, piſcopo Philippen. Fidei Promotore prius audito , re-
,, ſcribendum cenſuit . Ita conſtare de virtutibus , ut
,, poſſit procedi ad diſcuſſionem miraculorum , ſi San-
,, ctiſſimo Domino Noſtro viſum fuerit ,, .

Die 4. Julii 1733.

,, Factaque deinde per me Secretarium de prædi-
,, ctis Sanctiſſimo Domino Noſtro relatione , Sanctitas
,, ſua præfatum Sacræ Congregationis Decretum adpro-
,, bavit ; & benigne confirmavit ,, .

Die 7. ejuſdem Menſis , & anni 1733.

A. F. Zondadari Pro-Præfectus .

Loco ✠ Sigilli .

N. M. Tedeſchi Archiepiſcopus Apamenus
S. R. C. Secretarius .

Quæ dum agerentur , in Comprotectorem Regni , ac magni Ducatus Lithuaniæ expetitur , confirmaturque electio ab eadem Sac. Rituum Congregatione , per quam , & Officium , jam in honorem Beati Viri conceſſum , ad duplex majus eſt elevatum , ac per octavam protractum juxta infra adnotatum Decretum .

,, Ad pias Sereniſſimi Auguſti III. Regni Poloniæ in-
,, ſtantias , nec non ſupplices Rm̃i Adami Stanislai Gra-
,, bouschi Epiſcopi Culmenſis , nomine etiam Rm̃orum
,, Archiepiſcoporum , Epiſcoporum , Cleri , & Populi
,, totius

„ totius Regni Poloniæ, & magni Ducatus Lithuaniæ
„ preces, SS. D. N. Clementi PP. XII. porrectas; & a
„ Sanctitate sua ad Sacrorum Rituum Congregationem
„ remissas, quibus pro confirmatione electionis B. Joan-
„ nis Cantii in Comprotectorem Principalem dicti Re-
„ gni, & magni Ducatus Lithuaniæ, ac etiam pro ele-
„ vatione Officii ipsius Beati a ritu duplici minori, ad
„ duplicem primæ Classis cum octava, supplicatum fuit.
„ Sac. eadem Rituum Congregatio ad relationem Emi,
„ & Rmi D. Cardinalis S. Clementis, præfatam electio-
„ nem adprobavit, & confirmavit, ac prædicto B. Joan-
„ ni Cantio, prærogativas omnes Sanctis Protectoribus
„ Principalibus competentes attribuit, supradictamque
„ elevationem Officii cum octava juxta petita benigne
„ concessit, si SS. D. N. visum fuerit.

Die 16. Februarii 1737.

„ Factaque deinde de prædictis per me Secreta-
„ rium SS. D. N. relatione, Sanctitas sua benigne an-
„ nuit „.

Die 20. ejusdem Mensis, & Anni 1737.

„ Ita reperitur &c. „

T. Patriarcha Hierosolymitanus Secretarius.

Demum discussis, atque examinatis Miraculis, super quibus Apostolicus Processus validus habitus est 5. Septembris 1739. nullum a Benedicto XIV. eo temporis

P. M.

P. M. decretum eſt prolatum ; nam ex recenti lege ipſius BENEDICTI propoſita , atque per ſuffragantium ſententiam probata , non explebant ſtatutum numerum , per quem ad Johannis Canonizationem deveniretur . Quare opus fuit ut alius Apoſtolicus Proceſſus inſtrueretur ſuper aliis Miraculis recentioribus , in quorum adprobationem Sanctiſſimus Dominus Noſter CLEMENS XIII. Pontifex Maximus hoc edidit decretum prima Januarii hujuſce currentis anni .

CRACOVIEN. CANONIZATIONIS

B. JOHANNIS CANTII &c.

„ TAmetſi S. Sedes Apoſtolica Divini Spiritus opem „ numquam non ſibi adfuturam jure meritoque „ confidat ; non idcirco tamen in iis præſertim , quæ „ gravioris momenti ſunt , quidquam eorum prætermit„ tit , quæ ad bene ſapienterque deliberandum ex uſi„ tatis prudentiæ legibus requiruntur . Atque ita qui„ dem in Cauſſa B. JOHANNIS CANTII Presbyteri Se„ cularis , & in Univerſitate Academiæ Cracovien. Sac. „ Theologiæ Doctoris , & Profeſſoris faciendum duxit : „ Rurſus namque ad trutinam revocatis duobus Mira„ culis , quæ deprecante ipſo divinitus patrata fere„ bantur , primum quidem in Congregatione Generali „ habita die 3. Auguſti 1745. coram ſan. mem. BENE„ CTO XIV. , deinde in Particulari quinque Reveren„ diſſimorum Cardinalium , & quatuor Conſultorum

„ coram CLEMENTE XIII. feliciter regnante die 22.
„ Aprilis anni ſuperioris . Quamvis in hac omnium
„ ſuffragantium vota in adfirmantem ſententiam abjiſ-
„ ſent, nihil dum tamen ſtatuere SANCTISSIMO PON-
„ TIFICI viſum eſt, donec ſuper aliis Miraculis in
„ Congregatione Generali coram ſe examinandis quid
„ Rm̃orum Cardinalium, & Conſultorum quiſque ſen-
„ ſurus eſſet, audiret. Quum igitur die ſecunda pro-
„ xime elapſi Menſis ſuper novis Miraculis Generalis
„ Congregatio coacta fuiſſet, & cunctis pene ſuffra-
„ giis digna omnino viſa eſſent, quæ probarentur;
„ adhuc tamen SANCTITAS SUA protelandum tam
„ grave negotium exiſtimavit, uſque dum ſcilicet Pa-
„ trem luminum ſuis, atque aliorum precibus exora-
„ ret. His abunde peractis, accitis coram Se, infra-
„ ſcripta die, Rm̃is Cardinalibus Johanne Franciſco
„ Albani Epiſcopo Sabinen. Cauſſæ Ponente, ac Joſe-
„ pho Maria Feroni Sac. hujus Congregationis Rituum
„ Præfecto, necnon R. P. Carolo Alexio Piſani Fidei
„ Promotore, meque infraſcripto Secretario, duo re-
„ propoſita, & diſcuſſa Miracula in prædicta Congrega-
„ tione particulari adprobavit in tertio genere, nem-
„ pe „ inſtantaneæ ſanationis Pueri SEBASTIANI LU-
ZARK ab hæreditaria & confirmata Phtiſi; & ſubitæ
ſanationis Puellæ HEDUIGIS PASKOVUNÆ ab acuta
febri cum integra, & abſoluta virium omnium reſti-
tutione: „ atque alia tria in Congregatione Generali
„ examinata Miracula pariter adprobavit; primum in
„ ſecun-

„ ſecundo, ſecundum vero, & tertium in tertio ge-
„ nere, & ſunt „ I. Regreſſus Mercium in Flumen SO-
LA prolapſarum, & præterfluentium aquarum impetu procul raptarum adverſo flumine ad locum demerſionis. II. Inſtantaneæ ſanationis MARIANNÆ GAULICKÆ a gravi perniciosa febri in mortis agonem adductæ cum ſubita, & perfecta virium reintegratione; ac III. demum inſtantaneæ, & integræ Sanationis magni, & profundi ulceris, a jugulo ad fauces uſque fere omnia præter tendines, & majora vaſa depaſti, ſordidi, & fœtidiſſima tabe ſcatentis cum alimentorum per ejuſdem oſtium lapſu in perſona ANTONII OLEXOWIC., „ Divino autem conſilio factum vide-
„ tur, ut hoc de prædictorum quinque Miraculorum
„ BEATI JOHANNIS CANTII adprobatione Decretum
„ ea potiſſimum die prodeat, qua ADMIRABILIS JE-
„ SU NOMINIS jucunda memoria recolitur; quum
„ univerſa, quæ de omnibus Dei Servis mira perhi-
„ bentur, EJUS IPSIUS NOMINIS virtute patrata eſ-
„ ſe, divinis Literis doceamur. Profecto ſi uſquam
„ alibi MARIÆ NOMEN, apud Polonos certe ſingula-
„ rem habet venerationem; atque idipſum multo ma-
„ gis de SANCTISSIMO JESU NOMINE apud eoſ-
„ dem factum iri, ſpondet excellens illorum Religio:
„ Nonmodo propter ineffabilem tanti NOMINIS di-
„ gnitatem, ſed etiam quia Sacra huic auguſtiſſimo
„ NOMINI die memorati BEATI Miracula probata
„ fuerint. Ita ſane, & fervidis, atque iteratis Nationis

„ illius nobilissimæ votis satis fiet , & avitæ ejusdem „ pietati novum incitamentum , & calcar adcedet . „ Hoc autem Decretum SANCTITAS SUA in Acta „ Sacræ Congregationis Rituum referri , & publicari „ mandavit „.

Hac die prima Januarii 1767.

Joseph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

V. Macedonius Sac. Rit. Cong. Secretarius.

Supererat tantum , ut Decretum Canonizationis pronunciaretur . Ea de re idem Summus Pontifex CLEMENS XIII. divino auspicato Numine 2. Februarii jam recensiti anni , quo Purificationis Beatæ Mariæ Virginis agebatur Festum , istud tam expetitum Canonizationis B. Johannis Cantii , quum Sanctitati suæ libuisset , solemni peragendæ pompa Decretum edixit.

CRACOVIEN. CANONIZATIONIS

B. JOHANNIS CANTII &c.

„ VItæ celebritatem BEATI JOHANNIS CANTII „ sancte peractis eximiis in gradu heroico Virtutibus conjunctæ , quamobrem maxime Polonæ Nationi „ admirationi fuit , quam D. O. M. ut lux Ecclesiæ nitidior refulgeret , famulique sui gressus non tan-

„ tum

„ tum Poloni ſui Cives, verum etiam univerſi fideles
„ imitarentur, confirmare voluerit vehementius ab
„ quinque Miraculorum conceſſionem dicto BEATO in-
„ tercedente patratorum, quæ poſt maturas diſcuſſio-
„ nes SANCTISSIMUS DOMINUS NOSTER PAPA
„ CLEMENS XIII. die prima Januarii currentis anni
„ Apoſtolico auctoritatis ſuæ robore firmavit, propoſi-
„ tum exinde fuit dubium in Congregatione Generali
„ coacta die 27. elapſi menſis coram SANCTISSIMO „:
An ſtante adprobatione prædictorum Miraculorum tuto
procedi poſſit ad ſolemnem dicti BEATI Canonizatio-
nem: „ cui Patribus unanimi ſenſu, collatis ſuffragiis,
„ *affirmative* reſpondentibus, non ante tamen SAN-
„ CTISSIMUS DOMINUS NOSTER hoc Divini po-
„ tius, quam humani judicii opus abſolvere percenſuit,
„ quam os Domini conſuleret. Hinc jam recurrente
„ in univerſa Eccleſia VIRGINIS MARIÆ PURIFICA-
„ TIONIS die, quo Sacratiſſima Mater Templo excel-
„ ſior in Templum aſcendit, duplicem induta gloriam
„ intemeratæ Virginitatis, & ineffabilis fœcunditatis,
„ ipſo adſpirante Numine, factum eſt, ut SANCTI-
„ TAS SUA, Sacro expleto, coram ſe accerſitis Re-
„ verendiſſimis Cardinalibus Johanne Franciſco Albani
„ Epiſcopo Sabinen. Cauſæ Relatore, & Feroni Sac. Ri-
„ tuum Congregationi Præfecto, nec non R. P. Carolo
„ Alexio Piſani Fidei Promotore, meque infraſcripto
„ Secretario, præſens Canonizationis BEATI JOHAN-
„ NIS CANTII quandocumque faciendæ Decretum edi-

„ derit,

„ derit, & in Acta Sac. Rituum Congregationis redigi „ mandaverit „.

Hac die 2. Februarii 1767.

Joseph Maria Card. Feroni Præfectus.

Loco ✠ Sigilli.

V. Macedonius Sac. Rit. Congreg. Secretarius.

Quæ ut per quam celerrime exequutioni demandaretur, ad priſtinas Regum, cæterorumque Chriſtianorum Principum a Cauſſæ initio S. Sedi exhibitas preces, quum acceſſerint ſupplicationes, tum Sereniſſimi Poloniæ Regis STANISLAI AUGUSTI (1), tum Epiſcoporum, ejuſ-

(1) *Poſt Oſcula Pedum Sanctitatis Veſtræ, Mei, Regnique Mei humillimam commendationem. Cum non parum interſit Chriſtianis moribus inſtruendis, atque ampliandæ Religioni Catholicæ Viros pietate conſpicuos, ac Miraculis in Eccleſia præſtantes exemplo proponere, & quam ſolemniori modo eorundem celebrare memoriam, Sanctitatem Veſtram humiliter exorandam duxi, ut Cauſam Canonizationis Beati Johannis Cantii ad finem perducere, & precibus Prædeceſſorum meorum Regum Poloniæ ad S. Sedem Apoſtolicam ſuper eo iteratis, ac communi deſiderio Civium Regni mei deferre, faſtiſque Sanctorum eundem inſcribere dignetur. Quod Paternæ ipſius commendans benignitati Apoſtolicam Benedictionem tanquam certiſſimum Regni mei tutamen expoſco, ac Filiali ſemper Devotione permaneo. Dabantur Varſaviæ ſub tempus Comitiorum Regni Generalium. Die* VII. *Menſis Novembris Anno Domini* MDCCLXVI. *Regni vera Mei* III. *Anno.*

Sanctitatis Veſtræ

Obedientiſſimus Filius

STANISLAUS AUGUSTUS
Rex Poloniæ.

ejuſdem Regni (1), in id ſummo conatu nitentibus univerſa Urbe, atque Academia Cracovienſi; dies tandem ſextadecima Julii, ſacra ſolemni commemorationi Beatiſſimæ Virginis de Monte Carmelo; indicta eſt.

(1) *Inter cæteras Muneris mei, tum Collegii Fratrum meorum partes, non poſtremas eſſe cenſeo, Cultum Sanctorum ac devotionem erga Eos, in Gregibus curæ meæ, ac Fratrum meorum commiſſis, quam maxime augere. Hinc eſt, quod cum Beatum Johannem Cantium (quem ſpecialem hujus Regni, a pluribus jam annis veneramur Patronum) æque exemplo, ac præſidio eſſe continuo experimur; atque cum de integro jam expedito ſuper Canonizatione ſua Proceſſu, tam ego, quam Collegium Fratrum meorum certiores redditi ſumus, Sanctitati Veſtræ enixe ſupplicandum venit; ut poſt hæc feliciter tandem peracta examina, communi Chriſti Fidelium hujus Regni, ac tam optato Eccleſiarum meæ, Fratrumque meorum Spirituali Solatio quam primum deferre, ac eundem in Album Sanctorum recenſere dignetur. Quod dum humillime exoro, longævam incolumitatem, & felix Chriſtianæ Reipublicæ Regimen Sanctitati Veſtræ, una cum Collegio Fratrum meorum apprecor.*

Sanctitatis Veſtræ
Obedientiſſimus Filius,
& humillimus Servus

ULADISLAUS
Archiepiſcopus, & Primas.

FINIS.



Vt errores, quos in hac Editione irrepsisse comperit, Amice Lector, emendes; hanc tibi Scriptor exhibet paginam: monens a corrigendis ceteris, quæ in Notis, in Synopsi Auctorum, & in Forma Apostolici Judicij offendes, temporis angustia se fuisse prohibitum.

	ERRATA	CORRIGE
Pag. 5.	ceptum	cœptum
6.	litterarum	literarum
7.	Scieutiæ	Scientiæ
11.	Cœteris	Ceteris
	Simultationibus	Simultatibus
16.	aprehendit	adprehendit
17.	cœterorum	ceterorum
20.	perfundabatur	perfundebatur
	occurret	occurreret
21.	cum quibus	quibuscum
	quæcumquæ	quæcumque
23.	cœtera	cetera
26.	cœteris	ceteris
27.	quæ	qua
28.	freno	fræno
33.	cœterarum	ceterarum
34.	abusumptis	absumptis
48.	cœterorumque	ceterorumque
53.	meteriam	materiam

IMPRIMATUR,

Si videbitur Reverendissimo Patri Sacri Palatii Apostolici Magistro.

Dominicus Jordanus Archiepiscopus Nicomediæ Vicesgerens.

IMPRIMATUR,

F. Thomas Augustinus Ricchini Ord. Pred. Sacri Palatii Apostol. Magister.


Biblioteka Jagiellońska
stdr0021544

